Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

KW 224
F 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

KK III 16

Pseudo Elzevier.

~~Elzevier~~

~~C 123~~

(Aut Bolaisi)

Paris Imprimerie royale

cf Bibl. Belgica B 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

REGINÆ CHRISTIANISSIMÆ JURA IN DUCATUM BRABANTIÆ, ET ALIOS DITIONIS HISPANICÆ PRINCIPATUS.

M. DC. LXVII.

Koninklijke
Bibliotheek
te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

PAUCIS poſt diebus quàm felicis memoriæ Anna Auſtriaca Regis Chriſtianiſſimi Mater Philippo IV. Regi Catholico juſta perſolverat, & Reginæ Hiſpaniarum quæ tribui ſolent iis temporibus officia præſtiterat; Marchionem de la Fuente Hiſpaniæ Legatum acciri juſſit; eique quanto ſtudio arderet ſanciti inter utramque Coronam fœderis in perpetuum ſtabiliendi, & firmandæ Pacis, expoſuit; tum demùm ſe felicem fore vel in gravi extremoque, quo laborabat morbo, teſtata, ſi qui ex tranſverſo caſus incurrere, aut Pacem turbare poſſunt, obices amotos cerneret. Nihil porrò infeſtius paci inter Reges conſtitutæ, nihil perniciosius poſſe contingere, quàm ſi aliquot Belgii Principatus ad Reginam Galliarum patriis legibus, & ſanguinis jure delatos cedere recuſaret Hiſpania. Hoc itaque Legato negotii dat, ut Hiſpaniæ Reginam hac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

de re faciat certiorem, eamque ſuo nomine obteſtetur, ut in Regis Catholici rem, & publicam Orbis Chriſtiani ſalutem conſulat; ac ſperare jubet ſe ex Regis Chriſtianiſſimi moderatione & pietate conſecuturam, ut communis tranquillitatis ſtudio multa de ſuo jure concedat; tum ſtudium omne ſuum, operam, gratiam, quæque à Matre profecta, apud Filium plurimùm ponderis ſunt habitura, illi benignè pollicetur. Rogat denique ſororem ne huic deſit occaſioni, neve quantulum ſibi eſt reliquum vitæ, quod tantæ rei conficiendæ libens impenderet, re infectâ elabi patiatur. Id ſe utique facturum recipit Marchio, quæque ex Religioſiſſimæ Principis ore acceperat, Hiſpaniarum Reginæ perſcribit. Hoc tandem longo poſt tempore ab ea mandatum accepit, ut Reginæ Matri id reſponſi daret, non ſatis æqua ſibi videri quæ poſtularet; quæque Rex Chriſtianiſſimus jura prætexeret,

nullâ

nullâ vel probabili ratione niti, nec ſibi fas eſſe de iis rebus paciſci, aut ullo modo decidere; cùm Regis Catholici teſtamento cujuſcumque Principatus ſibi interdicta ſit alienatio, ac ne unum quidem Belgii vicum, aut villam liceat diſtrahere.

Non potuit ſanè Rex Galliarum hanc æquo animo ſibi & conjugi illatam injuriam pati. Illud tamen ex moderatione ſua futurum duxit, ſi expectaret dum Hiſpaniarum Regina diligentiùs edocta quàm certa ſint & explorata Reginæ Chriſtianiſſimæ in eos Belgii Principatus jura, à ſententia fortè deſiſteret. Iam veritus ne longiore dilatione Conjugis ſuæ jura minuerentur, præſertim cum interjecto tempore illius ſubditos in novum Hiſpani ſacramentum adegerint; nullam amplius deliberandi cauſam, nullum cunctationi locum eſſe judicavit. Quò igitur cauſæ ſuæ æquitas & juſtitia pateat omnibus; ac toti probetur Europæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

hunc emitti in publicum Tractatum juſſit; ſimul & Hiſpaniæ Conſilium admonitum voluit, ſe hinc rectà in Belgium tendere, quæſitos conjugi ſuæ Principatus, & delatas hæreditates aditurum, eâ quidem mente, hoc animo ut ſubditorum tranquillitati & quieti proſpiciat, rebelles verò, quique legitimæ principi parêre recuſabunt, vi & armis ſibi ſubjiciat. Ac ne quis fortè Regis Chriſtianiſſimi Conſilium malignâ interpretatione criminetur; illud quoque ſua intereſſe exiſtimat, ut omnes intelligant non alios ſe, quàm qui legum & conſuetudinum authoritate Reginæ obvenerint Belgii Principatus repoſcere; quos utique eodem vult jure, eodem prorſus, habitâ Imperii ratione, titulo poſſidere, quo Rex Catholicus antè poſſederat.

RE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

REGINÆ

CHRISTIANISSIMÆ jura in Ducatum Brabantiæ, & alios Ditionis Hiſpanicæ Principatus.

REGINÆ Chriſtianiſſimæ jura in Brabantiæ Ducatum, & circumjectas aliquot Provincias omnibus naturæ, legum, & conſuetudinum munita præſidiis, Rex invictiſſimus Galliarum non proferendi Imperii cupiditate, aut gloriâ Bellicæ laudis, ſed communi utilitate, & officii religione impulſus tueri meditatur. Neque enim is eſt, qui de inferendâ finitimis cogitet injuriâ, aut in rem ſuam aliena convertere, aut aliorum demum invadere velit Imperia. Unam præter cæteras virtutes colit Juſtitiam, huic coronam ſceptrumque ſummittit; nec quicquam compendii ſui cauſâ facturus eſt, quod non liceat, omnino perſuaſus nihil expedire, nihil utile eſſe quod ſit injuſtum. I.

Verùm id ex dignitate ſuâ, & majeſtate eſſe meritò exiſtimat, ut qui à ſubditis propulſare tenetur injurias, Conju- II.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

gem, Liberos, Domum denique ſuam non deſerat: Neque id pati citra exiſtimationis ſuæ periculum poteſt, ut Regina Galliæ paternâ hæreditate moveatur, quam leges illi, quam mores, & inſtituta populorum concedunt. Nemo fere eſt qui ignóret leges, quibus hæreditaria quæque Imperia continentur, nullâ poſſe ratione violari. Non enim aut parentum voluntas, aut contractus, aut teſtamenta, aut pactiones, aut conventiones ullæ poſſunt leges Regnorum conditrices, illius providentiâ cujus nutu Reges imperant, deſcriptas & firmatas convellere. Stant quippe ordine univerſa, quo perturbato, ut rerum naturam, ſic Principatum omnem everti neceſſe eſt. Jam in omni ordine unum eſſe quoddam fixum, & immobile ex quo reliqua fluant, ferè ut ex unitate numeri, omnino fatendum arbitramur. Quid porrò in tanta legum varietate, quæ ad publicum regimen ſpectant, erit firmum & ſtabile, niſi jus ipſum ſucceſſionis, quod inſtitutum à Deo nulli viciſſitudini eſt obnoxium? Hoc enim eſt omnis Principatus fundamentum, ex quo univerſi regiminis ratio ducitur, quodque labefactari non poteſt, quin unà ſimul evertatur Imperium. Nec demum ulla per ſeipſam conſtare poteſt publica adminiſtratio, nec vim & æternitatem ſuam, ut ita loquar, conſervare, niſi inconcuſſa maneant jura ſucceſſionum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Quæ ſi rectè ab omnibus conceduntur, illud profecto efficitur, non alia eſſe, aut defendi poſſe illuſtriora jura, quàm ea de quibus nunc agere ingredimur, quæque ad Reginam Chriſtianiſſimam in varios Belgii Principatus ex naſcendi ſorte, ex receptis legibus, ex conſuetudine tot ſæculis uſitata pervenerunt. Etſi fortè Hiſpanici Conſilii Adminiſtris aliter videatur, ac ſubinde metuendum ſit ne errores ab his profecti in multitudinem manent latiùs, & in diverſum trahant hominum judicia: id tamen concedant neceſſe eſt, nihil magis è re communi, nihil ad pacem tot hominum votis expetitam, in omne ævum firmandam utilius ſtatui poſſe, quàm ſi quæſtio illa (ſi tamen ea res eſt quæ in controverſiam adduci poſſit) ad juſtitiæ & veritatis leges revocata decernatur. Hoc enim cuivis perſpicuum eſt, potentiſſimorum Galliæ, & Hiſpaniæ Regum cùm Imperiis, tum fœderibus maximam Europæ partem contineri: ita ut eâdem pace, quæ hos Principes ſibi mutuò conciliat, totus ferè Chriſtianus orbis devinciatur: ut eorum diſſenſio reliquas Nationes magno impetu ſecum abripit, & diſtrahit. III.

Neque illud nos fallit nullam eſſe majorem quàm de Principatu conten- IV.

 tionem;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

tionem : nec Principes legibus, ſed armis; non juris diſceptatione, ſed bello & acie decertare. Ea tamen eſt Chriſtianiſſimi Regis æquitas & moderatio, ut ſubditos ſuos potiùs velit perſuadendo vincere, quàm vi & armis ſuperare; ac nihil magis exoptet, quàm ut ii ſe à ratione vinci patiantur. Hoc animo eſſe invictiſſimum Principem hinc licet cuique colligere, quòd jura ſuæ Conjugis in Ducatum Brabantiæ, & alios Principatus, quæque non reconditâ quadam ratione cernuntur, ſed in promptu ſunt & omnibus manifeſta, in vulgus antè efferri noluerit, quàm diſciplinâ juris eruditiſſimos, & ingenio prudentiâque acutiſſimos Doctores in celeberrimis totius Europæ Academiis conſuluerit. Id enim ex ſua religione & pietate eſſe duxit, ut jus ſuum non populari, ſed exquiſitiſſimæ Juriſprudentiæ trutinâ diligenter expenderet, ne quid cupidè, aut æſtu quodam, & fervore magni & elati animi incitatus agere putaretur.

V. Cum itaque omnium Eruditorum teſtimonio, & admirabili quâdam totius Juriſprudentiæ conſenſione, eos, de quibus nunc agimus, principatus ad Reginam Chriſtianiſſimam jure devolutionis pertinere, ex publico uſu & vetuſtis moribus earum Provinciarum compererit; nullum eſſe ampliùs diſſimulationi locum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

locum, ac potiùs ſibi metuendum intellexit, ne longius ſilentium in veternum quemdam, & ſoporem ab exiſtimatione ſua, & populorum ſalute alienum degeneraſſe videretur. Quid enim, an pater filium, maritus conjugem, Princeps ſubditos non defendet? Non hîc de finibus Regni propagandis, ſed de conſervandis agitur. Non vult Rex potentiſſimus armis populos debellare, ſed id tantùm poſtulat, ut ſubditi ſibi pareant jure ſanguinis & hæreditario juſtè & legitimè imperanti. Non urbium direptione, non cædibus, non hominum ſtrage; ſed juſtitiâ, & legum authoritate armatus, ad Conjugem, & liberos delatam adit hæreditatem. Atque ut Sol quæcumque motu ſuo luſtrat, eadem & ſuâ luce complet, & ſalutari calore perfundit; ſic Princeps optimus pacem vult in urbes, otium, & ubertatem in Provincias; non vim, non vaſtitatem, non arma victricia inferre. Quiſquis meminerit invictum Regem in ipſo victoriarum decurſu, attritis propè hoſtium viribus, cùm cuncta ex voluntate fluerent, arma poſuiſſe, ut Chriſtiano orbi pacem & tranquillitatem conciliaret; hic profectò intelliget eum non gloriæ & ſplendoris cupiditate inflammatum bella quærere, ſed jura ſua perſequi, atque invitum arma, quæ ut ſaluti publicæ conſuleret, ſummâ animi magnitudine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

poſuerat, repetere. Grave illi & moleſtum foret Europam rurſus bello flagrantem cernere, cujus incendium utilitate communi ductus, reſtinxit. At quo judice lis tanta ſecabitur? quod erit in terrarum orbe tribunal cui ſiſti poſſit Rex Galliarum, & de jure ſuo experiri adverſus ſubditos, qui nec propriis velint parêre legibus, nec ſui Principis benevolentiâ, & charitate flecti, quique divinæ Providentiæ, quæ ſceptra coronaſque diſpenſat, non ſine magno ſuo damno & ſumma rerum perturbatione reluctentur?

VI. Sed aliud quiddam longè auguratur Rex Chriſtianiſſimus, atque in eam ſpem vehementer adducitur, fore ut populi à Regno Galliarum quondam avulſi, quique ex longo intervallo in ſuum velut corpus rediêre, tam juſtum non detrectent imperium, & ſuæ Principi ſubjiciantur, non vi, non armis, ſed ratione ipſâ, & juſtitiâ devicti. Nec aliâ quidem mente hoc operis emitti in publicum juſſit, quàm ut Reginæ jura in animis, ac penè oculis omnium Nationum, & Belgarum maximè, exponerentur. Poſtquam enim ii quorum plurimùm intereſt non falli, aut decipi, tam aperti, tam perſpicui juris æquitate perſuaſi fuerint, atque omni detracto errore quid ſit veri perviderint, ultrò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ultrò ſe ſuo Principi dedere, & parêre non recuſabunt. Neque enim ii ſunt qui impetu quodam animi, aut perturbatione magis, quàm conſilio & judicio regantur. Aut me fugit ratio, aut illud Regis conſilium, eam moderationem omnes Nationes ſuis calculis comprobabunt. Quid enim magis Regium, quàm ſubditos æquitate & benevolentiâ demereri? Quod ſi non ſolùm vinci à ratione, ſed etiam perſuaderi velint, Rex voti ſui compos futurus eſt, qui de ſubditis non manu, aut bello, ſed juſtitiâ & charitate triumphabit. Sin autem parêre nolint, nec legum & conſuetudinum authoritate moveantur, quicumque futuri ſint belli exitus, erunt certè neceſſarii; idque unum Rex erit conſecutus, ut non niſi velut in ipſius Arcæ, ac divinæ legis conſpectu, uti ſummus ille Iſraëlitici quondam populi princeps, acie decernere, ac diſceptatione priùs, quàm bello, & armis decertare videatur. Neque hoc conſilium moderationis plenum quiſquam poteſt reprehendere, niſi idem naturam ipſam incuſet, quæ omnium animis ſuos ſuaque tuendi curam inſculpſit; aut ſanguinis jura, & omnium Gentium leges, quibus liberi in parentum bona ſuccedunt, penitus abjiciendas exiſtimet.

VII. Contrà nemo eſt qui Hiſpanici Conſi-

lii rationem & inſtitutum probare poſſit, aut defendere. Quid enim magis à ratione & religione alienum, quàm Franciæ Reginam non ſolùm hæreditate, quæ ad eam ex Matris & Fratris Balthaſaris morte venerat, funditùs exturbare; ſed etiam ſpes omnes illi in paterna bona, ſi liberos pepererit, omnino præcidere? At verò ſi fortè abſque liberis fuerit marito ſuperſtes, non ſolùm jure ſuo in maternam ſucceſſionem non excidet; ſed in paterna quoque regna vocabitur. Quid hoc eſt niſi in ſacramentum matrimonii contumelia? Nuptiarum votum eſt proles; hîc ſi quæ adſit, parentem unà cum ſobole, dominio & Principatu omni depellit: Mater ſimul, & Regina eſſe non poteſt. Quæ eſt iſta fœcunditas, quæ bonis, quæ hæreditate parentem & liberos exuit? Quod in aliis firmat patrimonia, hîc omnino evertit, & ex quo fonte manare ſolent, hinc penitùs amittuntur; quandoquidem procreatio liberorum cedit in matris perniciem, omnem illi adimit hæreditatem, & throno eam dejicit. Ergo jura ſua tueri, & conſervare non poterit, niſi aut liberis orbata, aut ſterilitate perculſa.

VIII. Quantum verò illud renuntiationis pactum non ab æquitate modò, ſed etiam ab omni juſtitiæ forma ſit remotum, tot rationi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

rationibus promptis ex ipſius naturæ fontibus, ex jure Gentium, & civili, ex receptis denique moribus palam fiet, ut ne Hiſpaniæ quidem Conſilium audeat hoc commenti defendere: præſertim ubi illa abdicatio, aut ceſſio, aut renuntiatio, aut quocumque alio ſignetur nomine, omni fuco, & falſis nudata coloribus omnium animis fuerit & oculis ſubjecta. Quò autem id faciliùs effici poſſit, non erit alienum ut acta ſint omnia, breviter exponere, & rem ipſam velut à capite arceſcere.

ANno ſexcenteſimo decimo quinto ſupra milleſimum Eliſabetha Henrici Magni filia Philippo tum Hiſpaniarum Principi, poſt Regi Catholico hujus nominis quarto fuit in matrimonium collocata. Dos illi quingenta millia nummûm aureorum: complures itidem gemmæ quàm maximi pretii, quarum proprietas ad liberos, qui ex hoc matrimonio naſcerentur, ex conventione pertineret. Hiſpaniæ Princeps viciſſim ſponſam 166666. nummis aureis in dotis augmentum donavit, præter gemmas quinquaginta millium aureorum pretio æſtimatas. Vixit Sereniſſima Regina cum Rege Catholico novem & viginti annos, tùm ex hac vita in meliorem exceſſit. Filium cui nomen fuit Balthaſar, quique brevi poſt tempore obiit, filiam itidem nomine

I. Brevis rerum geſtarum expoſitio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

nomine Mariam Thereſiam reliquit ſuperſtites. Hæc quidem in totius Regni ſpem diu fuit educata; ſed Rege Catholico tribus ſubinde poſt iteratas nuptias liberis aucto, aliquantò longiùs ab ea ſpe remota eſt. Jam, quæ eſt rerum humanarum viciſſitudo, ex tribus Regis Catholici filiis duo ſunt vitâ functi. Hinc Maria Thereſia, quæ nunc eſt Regina Chriſtianiſſima, in eum locum unde exciderat, rurſum eſt reſtituta: totius quippe Regni, ſi quid fratri, quod abſit, humanitùs accideret, ad eam ſpectat hæreditas. Sed ad inſtitutum noſtrum redeamus.

II. Anno ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto ſupra milleſimum, cum Galli & Hiſpani gravi diuturnoque bello inter ſe diſſiderent, ſpes aliqua ineundæ pacis inter potentiſſimos Reges illuxit. Et quidem nonnulla tùm inter Regum Procuratores habita ſunt arcana colloquia: ſed hoc majus quiddam erat, quàm ut primo ſtatim aditu confici poſſet. Hinc tamen pronior ad pacem conciliandam via fuit, & Legatis utrimque commeantibus jacta ſunt velut prima tanti operis fundamenta. Vix tres anni effluxerant, cum Rex Catholicus D. Antonium Pimentellum ultrò miſit in Galliam, qui de componenda pace ageret. Sæpe is cum Cardinale Mazarino ſecretò

ſecretò congreſſus, ſæpe remotis arbitris collocutus, ac tandem illius negotiatio ad optatos exitus perducta eſt: de conditionibus pacis (ſi perpaucas levioris utique momenti exceperis) conventum: quas utrimque obſignarunt anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo nono, die VIII Maii. Hinc jam ab armis, atque ab omni hoſtili incurſione ceſſatum. Inter prima colloquia Pimentellus de jungendo nuptiarum fœdere, quod conciliandæ pacis magnum ſæpe eſt vinculum, quædam obiter, & velut in tranſitu jecit; quæ comiter, atque ex Hiſpaniæ votis Rex Chriſtianiſſimus excepit. Sed cùm ille nihil de conditionibus, neque ullam paciſcendi à ſuo Principe poteſtatem accepiſſet, res tota in id tempus dilata eſt, cum præcipui Regum adminiſtri ad utriuſque Regni fines inchoatum pacis opus peracturi convenirent.

Cardinalis duodecimo ejuſdem men- III.
ſis die accepit à Chriſtianiſſimo Rege ampliſſima mandata, ut quibus videretur conditionibus pacem componeret: nec tamen quicquam inerat in his literis de affinitate jungenda, quòd res eſſet omnino à pacis negotio ſejuncta. Quamobrem die vigeſimo primo Junii, aliis ſubinde mandatis data eſt Cardinali poteſtas paciſcendi de iis quæ dotem, & uſitatas nuptiarum conventiones

nes ſpectarent: ſed quod taceri nullo modo poteſt, nihil regiæ literæ de abdicatione, ſeu renuntiatione facienda continebant, neque id Cardinalis arbitrio permiſſum fuit. Itaque omnibus erectis in ſpem futuræ pacis, die vigeſimo quarto Junii Cardinalis Lutetiâ proficiſcitur, ut die conſtituto ad fines Aquitaniæ cum Hiſpaniæ Legato adeſſet, & abſoluto penè operi velut faſtigium ſimul imponerent.

IV. Legati inſulam quæ Galliam ab Hiſpania diſterminat, ut idoneum congreſſui locum eligunt. Die decimotertio menſis Auguſti prima ineunt colloquia; ac dum pacis conditiones diligentius pertractant, atque alias ex aliis, quæ ſubinde emergunt difficultates expediunt, Lyonæo, & D. Petro Colôma, quorum ille Regi Chriſtianiſſimo, hic Regi Catholico erat à Secretioribus Mandatis, id negotii dant, ut inſtrumenti dotalis formam unà deſignent: nam de ipſa quidem dote quingentûm mille nummûm aureorum jam inter Legatos convenerat. Verùm nihil æquè inopinatum Lyonæo potuit accidere, atque illa renuntiationis clauſula, quam Colôma in primo ſtatim congreſſu propoſuit; Reginam videlicet ſic ſuâ dote quingentûm millium aureorum contentam eſſe oportere, ut omni jure in omnes hæreditates, quæcumque illæ eſſent, ſimul & jure ſuccedendi in Regna & Principa-

tus

tus Hiſpanicæ Dominationis unà cum ſuis Liberis excluderetur. Tum Lyonæus quantâ fieri potuit contentione maximâ tam iniquæ conventioni obſiſtere, ac negare eâ lege in Regem Chriſtianiſſimum, & ejus ſponſam contumelioſâ tranſigi poſſe, aut committendum ut ſanctiſſimo fœderi tam atrox inferretur injuria. Magnis utrimque animis diſceptatum. Res omnis ad præcipuos pacis Arbitros tandem delata, nec minori animorum contentione certatum: neuter ſuæ cauſæ defuit. Cardinalis invictis quidem argumentis hanc clauſulam, ut iniquam prorſus, & à Regum majeſtate alienam rejiciebat. Contrà Ludovicus de Haro non multum in eo ſibi elaborandum putabat, ut clauſulam defenderet, aut rationes à Cardinale in contrarium adductas dilueret. Quin etiam illud admiratione dignum videtur, quòd eam potiſſimùm rationem in ſuæ cauſæ patrocinium attulerit, quâ nulla major ad eam infirmandam afferri poſſet. Negabat ſe adeò eſſe rerum imperitum, qui dubitaret quàm iniqua, quàm legibus contraria, quam abſurda eſſet illa conditio; neque ignorare ſe, adjectam in contractu clauſulam haud poſſe totius Monarchiæ fundamenta convellere; nec ſacrarum Legum vincula, quæ Hiſpaniæ Reges ac ſubditos inter ſe devinciunt, ulla ratione ſolvi poſſe. Quòd ſi, inquit, iratus Hiſpaniæ Deus, Principi qui

unus

unus ſupereſt, vitam eriperet, nemo eſſet ex ſubditis qui jus ſanguinis in Filia Regis violandum putaret: Omnes illius imperio ſe ſubjicerent; neque ulla clauſula, aut conditio, aut pactum ab obſequio Hiſpanos revocaret. Præterquam enim, aiebat, omnes ei favent, eamque meritò amant, non modò propter Regii ſanguinis ſplendorem, ſed multò maximè ob eximias ejus dotes, & omnium virtutum laudem; non poſſunt Regnorum jura privatis conventionibus everti: Regum ſceptra in manu Dei ſunt, non in hominum arbitrio poſita. Nec demum diſcordiæ, & bella civilia caveri poſſunt, niſi hæreditario & ſanguinis jure regna manent ad poſteros, iique velut perpetuâ quadam per gradus, & æternâ ſubſtitutione ſuccedant. Hæ ſunt leges Hiſpanorum, moreſque conſtituti, tot retro ſæculis comprobati, ab iis recedent nunquam, quæcumque ceſſionis, aut abdicationis clauſula in contrarium obtendatur. Hæc quidem ita ſibi nota eſſe, ut nulli notiora: Negare tamen ſummo Regis Conſilio perſuaderi poſſe, ut ab eâ conditione diſcederet, idque ſi ipſe tentaret, nihil promoturum; ac fore ut in omnium reprehenſiones incurreret, quòd contra recentis memoriæ teſtatiſſimum exemplum obniti auderet: nam quod exemplo fit, id jure fieri pleroſque arbitrari. Non aliâ lege Annam Au-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Auſtriacam Sereniſſimam Regis Chriſtianiſſimi Matrem Ludovico XIII. felicis memoriæ fuiſſe in matrimonium collocatam; ac demum Hiſpanis certum eſſe, ab ea forma quæ jam præſcripta eſt, non recedere.

Cum itaque Cardinalis Mazarinus Hiſpanos ita obfirmatos cerneret, ut ab ea ſententia deduci non poſſent, ac ſubinde vereretur ne ſi re infectâ diſcederet, invidia omnis penes Galliam eſſet, quòd vanum terrorem prætexens, omnem ineundæ concordiæ ſpem incîdiſſet; omnino ex fide ſua & prudentia eſſe duxit, neglectâ inutili clauſulâ, quæ nec Regi obeſſe poſſet, nec executioni mandari, niſi omnia violarentur jura, paci & tranquillitati orbis Chriſtiani conſulere; neque id committere ut ſuâ culpâ totius Europæ ſpes in irritum caderent. V.

Inſtrumentum dotale deſcribere ingreſſos alia torquet controverſia, quâ verborum formulâ pactum renuntiationis concipiatur. Lyonæo contendente ex conditione dotis repræſentandæ præſcriptis temporibus, eam clauſulam ſuſpendi oportere: contrà defendente Colomæo abſolutam eſſe eam ceſſionem, & nulli conditioni alligandam; vicit tandem Lyonæus ut lex repræſentandæ dotis adhiberetur. Quid enim, ſi dos VI.

non

non perſolvatur; Regina & ſua dote & omni jure ſuccedendi fraudabitur? Imò Colôma negavit hanc ullius momenti eſſe diſceptationem, neque id metuendum eſſe ne Rex Hiſpaniæ tam neceſſariæ conditioni deeſſet.

VII. Rebus ita compoſitis in hæc pene verba ceſſionis clauſula deſcripta fuit; Re-
„gem videlicet Catholicum Sereniſſimæ
„Infanti D. Mariæ Thereſiæ in dotem
„dare & promittere matrimonii ergo
„cum Rege Chriſtianiſſimo ineundi,
„quingenta millia nummûm aureorum;
„eamque pecuniæ ſummam Pariſiis re-
„præſentari oportere, & ejus tripartitam
„ſolutionem tribus quoque fieri tempo-
„ribus; ita ut pars tertia ſtatim ab inito
„matrimonio, pars altera intra annum,
„quod reliquum erit vertente ſemeſtri ſit
„perſolvendum. Ea quidem lege (dum-
„modo hæc ſumma, aut quod tanti eſt,
„Regi Chriſtianiſſimo præſcriptis tem-
„poribus numeretur) ut Sereniſſima
„Princeps hac contenta dote jus omne
„in paterna & materna bona, atque in o-
„mnes ſucceſſiones, quacumque ratione,
„aut titulo contigerint, omnino repu-
„diet, iiſque planè renuntiet: ſeu ea jura
„quibus ceſſura eſt, explorata habuerit,
„ſeu illa ignoraverit: quocumque enim
„modo, aut conditione res prædictæ fue-
„rint, cum omnibus poſteris ſuis, utriuſ-
vis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

"vis ſint ſexus, his ſimul & omni domi-"
"natione, aut Principatu Hiſpanicæ Mo-"
"narchiæ omnino excluditur; niſi fortè"
"ſine liberis ſit marito ſuperſtes; tum"
"enim ſoluta, & libera ab illa excluſione"
"futura eſt, atque ejus jura in paternas &"
"maternas hæreditates ſarta-tecta, & il-"
"læſa ſervabuntur."

Utriuſque Regni Adminiſtri inſtrumentum dotale obſignarunt die ſeptimo Novembris, quo videlicet die pacificationis opus ad optatos exitus provectum, ab utroque Legato ſubſcriptum fuit. Rex Chriſtianiſſimus Tholoſæ die vigeſimo quarto ejuſdem menſis, Rex item Catholicus Madriti primo Decembris die, pacis & nuptiarum fœdera authoritate ſua confirmarunt. Interjectis aliquot diebus Ludovicus de Haro accepta à Chriſtianiſſimo Rege poteſtate, ejus nomine Sereniſſimam Infantem deſpondit. Nuptiæ celebratæ die quarto Junii, anno ſexcenteſimo ſexageſimo ſupra milleſimum. Die ſeptimo Reges in eam inſulam, ubi pax fuit compoſita, ſe contulêre; ibi Rex Catholicus Filiam in manus Chriſtianiſſimi Regis tradidit; ac demum incredibili omnium lætitia in Galliam deducta eſt. VIII.

Jam illud omnibus eſt miràculo, quòd Rex Catholicus nec dotem, nec quicquam ex iis quæ promiſerat exſolverit; IX.

cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

cùm ex ea tamen conditione pactum ceſſionis, ſeu renuntiationis omnino ſuſpenderit. Id verò ad ſummam totius cauſæ pertinet.

Nunc quidem Rex Chriſtianiſſimus jus ſuum in conſpectu omnium exponere ſtatuit, & liberum cuique judicium permittere. Neque enim Philippi II. Hiſpaniarum Regis hac in re ſequi exemplum poteſt, qui cum rogaretur quo jure Luſitaniæ regnum invaderet, ſua ſibi jura nota eſſe reſpondit, neque aliud eſſe Regibus conſtitutum tribunal, præter ſuam uniuſcujuſque conſcientiam.

X. Non ea mens eſt invictiſſimi Regis Galliarum, non ea ratio Chriſtianiſſimæ Reginæ; nec committet ut hoc conſcientiæ ſuæ vulnus, hanc juri ſuo labem inuri ſinat. Cauſa omnis quæ veritatis lucem, vel hominum judicia reformidat, ſuſpecta eſt. Utrique certum eſt nihil per injuriam, nihil contra æquitatem contendere. Regina Chriſt. ut livoris pura, ſic ab omni cupiditate, & ambitionis ſuſpicione procul abeſt. Huic ſumma votorum eſt, ut videat Fratrem in Hiſpania regnantem, prole felicem, gloriâ cumulatum. At nemo eſt tam iniquus, tam imperitus, qui neget eam poſſe citra ullam injuriam jus ſuum perſequi, ac petere bona, quæ ſibi ex utriuſque Parentis, & Fratris hæreditate obtigerunt:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

runt : niſi fortè quis velit ſua cuique tueri, & defendere, non eſſe à natura, aut juſtitia, aut pietate conceſſum. Quæris quo titulo hanc hæreditatem petit? Naturæ; neque enim poteſt filia omni patrimonio, niſi naturâ repugnante, ſpoliari. Quo jure? Legum, & patriæ conſuetudinis. Quâ authoritate? Communis æquitatis, quæ eſt ipſa naturæ ratio omnium animis inciſa. Nec crediderim ullum eſſe in terrarum orbe Tribunal, ullum Senatum, quo cognoſcente, Regina Chriſtianiſſima, ſi res tanta in publico, legitimoque judicio tractaretur, cauſam pietatis, religionis, juſtitiæ plenam non obtineret. Unum eſt Hiſpaniæ Conſilium, cui fortè hæc cauſa minùs probatur. Sed nobis non erit difficile oſtendere illud abdicationis, vel renuntiationis pactum, in quod velut in munitiſſimam arcem Hiſpani ſeſe recipiunt, ab omni omnino juſtitia abhorrere; vanam eſſe illam formulam, quæ jus omne pervertit; nihil aliud eſſe, quàm præcipitis ambitionis, & falſæ politicæ commentum ad oſtentationem, & imperitorum ludibrium compoſitum. Idque ex receptis in Hiſpania legibus, ex inveterata conſuetudine Regionum, ex eorum qui in magno apud Hiſpanos ſunt honore, juris Interpretum authoritate nos eſſe demonſtraturos recipimus. Quocirca horum alterum futurum eſt, ut ſuis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

legibus, & veritate ipſa perſuaſi à ſententia deſiſtant; vel certè ut Hiſpaniam pugnare ipſam ſecum, quò leges, jura, conſuetudines denique ſuas evertat, totius orbis teſtimonio comprobetur.

XI. Totius operis in duas partes diviſio.

Quò autem id faciliùs aſſequamur, atque ut lucidior, & manifeſtior ſit deſtinati hujus operis ratio, duo potiſſimùm nobis præſtanda ſunt. Jura Chriſtianiſſimæ Reginæ primò ſunt exponenda, & in quo ſint conſtituta diligenter explicandum; tum abdicationis vel renuntiationis pactum, quod nobis ut defenſionis ſuæ propugnaculum opponunt, funditus eſt evertendum. Sed ſuperius illud ante conſtitui non poteſt, quàm hoc poſterius ſit confectum. Vix enim niſi remoto ceſſionis, vel renuntiationis obice, & velut diſruptis repagulis Regina Chriſtianiſſima jura ſua conſequetur.

Quocirca hoc opus in duas partes breviter & commodè dividetur; prior quidem in ceſſione, aut renuntiatione refellenda, atque illa velut Hiſpanicæ defenſionis arce dejicienda verſabitur. Pars altera, quæ ſint jura Chriſtianiſſimæ Reginæ quæſita & certa, ex fœdere nuptiali Reginæ Eliſabethæ, ex conſuetudine Regionum de quibus nunc agimus, ex longo & inveterato uſu, qui inter Principes, aut Duces earum Provinciarum in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

in eadem cauſa ſemper obtinuit; quæ demum ex morte Fratris hæreditario jure bona ad eam pervenerint, diſtinctè & enucleatè explicabit.

I. Pactum renuntiationis evertitur.

PRimùm illud in univerſum ſtatui poteſt, ejuſmodi pacta, quibus liberi futuras ſucceſſiones abdicant, non ex lege naturæ, non ex jure gentium, non denique ex jure *civili* fluxiſſe. Nihil enim eſt magis ſecundùm naturam, quàm ut ii, qui parentes ſuos referunt, in eorum quoque bona ſuccedant. Natura quippe ingenerat præcipuum quemdam amorem in eos qui procreati ſunt, nec patitur filios à parentibus deſeri, aut omnibus vitæ præſidiis deſtitui. Hinc Romani, quibus juxtà curæ fuit & Rempublicam augere imperio, & parta conſervare, ac denique cives eadem æquitate continere, hujus generis conventa, quibus liberi omni ſpe hæreditatis excluduntur, omnino repudiarunt. Idque hoc mirabilius debet videri, quòd iidem patriam poteſtatem ita extulerint, ut jus vitæ & necis patribus in liberos tribuerint; numquam tamen illorum arbitrio permiſêre, ut cum filiis de abdicanda ſucceſſione paciſcerentur. Hac utique ratione perſuaſi, ſatis à natura vitæ liberorum eſſe conſultum, nec patrem poſſe (niſi fortè quis in figura humana immanitatem belluæ gerat) iis quos genuit, vitam eripere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

At facilè adduci poſſunt parentes, ut eos juſtitiæ capiat oblivio; ut alios præ aliis diligant, atque his neglectis, illis conſulant. Quocirca non ſatis cautum foret naturali æquitati, nec ſatis proſpectum liberorum parti legitimæ, ſi parentum authoritate, aut pudore, aut metu filii jure ſuo cederent, ac futuræ ſucceſſioni renuntiarent. Nec demum ſatis æquum videtur, ut filius qui nihil commeruit, ſorte ſuâ, aut portione legitimâ hæreditatis pellatur, quam tamen illi ejuſmodi pacta eriperent, ſi legum auctoritate munirentur.

II. Quamobrem qui jus civile Romanorum condidêre, monſtri inſtar putarunt filium paciſci cum patre de futura hæreditate, & conventum illud non inutile modò, ſed etiam iniquum, atque à natura prorſus alienum judicarunt. Hinc magnum illud Juriſprudentiæ lumen Papinianus ejus generis pacta ut injuſta, atque in leges contumelioſa cenſet penitus eſſe rejicienda[a]. Quid, quòd ipſi Imperatores adeo non probant hæc conventa, ut nonnulli ea tanquam peſſimi ominis & triſtiſſimi eventûs portenta execrentur[b]. Alii in numerum ſtipulationum, quæ cum bonis moribus pugnant, ejuſmodi pa-

a Pater inſtrumento dotali comprehendit filiam ita dotem accepiſſe, ne quid aliud ex hæreditate patris ſperaret, eam ſcripturam jus ſucceſſionis non mutaſſe conſtitit; privatorum enim cautionem legum authoritate non cenſeri. *Leg. ult. D. de ſuis, & legitimis.*

b Sed nobis omnes hujuſmodi pactiones odioſæ eſſe videntur, & plenæ triſtiſſimi & periculoſi eventus. *L. 30. Cod. de pact.*

ctiones

ctiones adſcribunt [a]. Denique nonnulli eos qui à parentibus perſuaſi vel coacti renuntiationem jurejurando firmavêre, ſacramenti religione exſolvunt. Quin etiam ab iis variæ ſunt conſtitutæ leges, quibus ſancitum fuit ut filia his conventis, aut promiſſis, quæ pater obtentu dotis, aut alia ratione exegerat, omnino liberetur.

[a] Ex eo inſtrumento nullam eos habere actionem, in quo contra bonos mores de ſucceſſione futurâ interpoſita fuit ſtipulatio, manifeſtum eſt, cum omnia quæ contra bonos mores, vel in pactum, vel in ſtipulationem deducuntur, nullius momenti ſint. *L. 4. Cod. de inut. ſtip.*

Pactum quod dotali inſtrumento comprehenſum eſt, ut ſi pater vitâ fungeretur, ex æquâ portione ea quæ nubebat, cum fratre hæres patris ſui eſſet, neque ullam obligationem contrahere, neque libertatem teſtamenti faciendi mulieris patri potuit auferre. *L. 15. Cod. de pact.*

Pactum dotali inſtrumento comprehenſum, ut contenta dote quæ in matrimonio collocabatur, nullum ad bona paterna regreſſum haberet, juris authoritate improbatur, nec inteſtato patri ſuccedere filia eâ ratione prohibetur. Dotem ſanè quam accepit fratribus qui in poteſtate manſerunt, conferre debet. *L. 3. Cod. de coll.*

III. Quamvis pactum patri factum à filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regreſſum haberet, improbet lex civilis: ſi tamen juramento, nec dolo, nec vi præſtitum fuerit, ab eadem omnino ſervari debebit, cum non vergat in æternæ ſalutis diſpendium, nec redundet in alterius detrimentum. *in Sext. Decr. lib. 1. tit. de pact.*

At fors eſt ut leges illæ jam vetuſtate conſenuerint, aut novis legibus, vel etiam jure Pontificio ſublatæ ſint. Non id quidem nobis excidit, quod Bonifacius VIII. Papa in contrarium ſtatuit. Is enim vel gloriæ cupiditate, à qua non multum abhorrebat; vel quod ſimilius eſt veri, augendæ Pontificiæ authoritatis ſtudio incenſus; vel denique quòd ægrè ferret Imperatorum leges non ea modò quæ diximus pacta reſcindere, ſed & jurejurando firmata reſolve-

re; eam conſtitutionem edidit cujus hæc eſt ſententia: Quòd licet ex jure civili conventio omnis, quâ filia à patre collocata, ſuâ dote ſe fore contentam recipit, omnino irrita ſit & inutilis; tamen hanc pactionem, ſi jurejurando firmata fuerit, nec puella metu ſit coacta, aut fraude circumventa, ratam eſſe oporteat; cum, inquit, non vergat in æternæ ſalutis diſpendium, nec redundet in alterius detrimentum. Sed nemo, ut arbitror, ita ab omni ſenſu hominis remotus eſt, qui putet Reges, ac Principes hac Decret li ita conſtringi, ut ejus vis & authoritas etiam ad Principatus, aut Imperia, quæ nullo pretio poſſunt æſtimari, pertineat. Præſertim cum ne inter privatos quidem hæc Conſtitutio obtinuerit, niſi eadem tam reſtrictè præfinita, tot conditionibus circumſcripta, ut perſpicuum eſſe poſſit hanc Decretalem ceu rem prohibitam eſſe toleratam, nec legis inſtar receptam unquam fuiſſe.

IV. Quid enim, ſi dos infra legitimam partem hæreditatis fuerit, an filia hujus renuntiationis obtentu ſuâ ſorte quam natura, quam leges tribuunt, fraudabitur [a]? Quid, ſi à patre qui paciſcitur, dos profecta non fuerit, ſed aliunde contigerit [b]? Quid, ſi dos minor fuerit, quàm

a *Leg. 11. tit. 4. ſextæ partis. Covarruv. ſup. c. Quamvis. §. 3. n. 3.*

b Filia dotata non excluditur dumtaxat, niſi à ſucceſſione dotantis, unde ſi filia de ſuis propriis bonis fuerit dotata non eſt excluſa. *Benedict. cap. Raynutius.*

quàm pro patris facultatibus, aut familiæ dignitate; nec pater tùm cùm viveret, promiſſam dotem perſolverit [a]? Si filia non futurâ modò, & incertâ, ſed etiam delatâ ad ſe hæreditate ceſſerit, & bonis quæ jam obtigêre, renuntiaverit [b]? Si non ſolum in gratiam fratrum, ſed etiam in aliorum commodum hæc abdicatio convertatur [c]? Si facta fuerit citra eorum conſenſum, in quorum bona filia ſuccedet [d]? Si in alicujus detrimentum [e]? Si denique ea quæ renuntiat, ſit in alterius poteſtate, nec ſui juris; ſi quis metus, aut vis, aut dolus ſubeſſe, aut pater minùs bonâ fide agere videatur [f]; nullum profectò fore huic Conſtitutioni locum, nullam adeo renuntiationem fatentur utriuſque Juriſprudentiæ Antiſtites. Quorſum, amabo, tot conditionibus ſepta hæc Decretalis, cur tot exceptionibus eſt circumſcripta? niſi ut res omnis ad jus civile tot retro ſæculis obſervatum, & à natura profectum, unde lapſa conſuetudo hujus novæ Conſtitutionis occaſione aliquantum de via deflexit, omnino revocetur. Et ſanè hanc Conſtitutionem adeo non probarunt celeberrimi quique Juriſconſulti, ut ex

a Ex dignitate, & facultatibus, ex numero liberorum. *L. Si filiæ. D. de leg. & fideic. 3. Ludovic. Rom. in leg. 1. §. Si quis ita. D. de verborum oblig.*

b *Alex. conſ. 29. vol. 3.*

c *Salicet. in l. pactum dotale, Cod. de pact. Covarr. in cap. Quamvis. 3. part. §. 3. n. 4.*

d Non ambigo, imò fateor planè pactum iſtud abſque conſenſu ejus cui ſuccedendum eſt, minimè confirmari juramento, quia contrarium ſit bonis moribus. *Idem part. 3. num. 6. in cap. Quamvis. de pact. in ſext.*

e Cum non redundet in alterius detrimentum. *Cap. Quamvis. de pact. in ſext.*

f Si tamen juramento nec dolo nec vi præſtito firmatum fuerit. *Cap. eodem in ſext.*

iis nonnulli eam ut effrænem & abſurdam rejecerint [a].

[a] Adde Decretalem iſtam effrænem eſſe, & exorbitantem, ut ea de cauſa extendi extra propriam facti ſpeciem non debeat. *Raphaël ad leg.* 38. *de Verb. oblig.*

V. Mirum illud quoque, quòd cum Pontifex jus civile contrarium his pactis eſſe fateatur, ea tamen inducere, & leges Imperatorias abrogare non dubitet. Quid juri Pontificio cum ſucceſſionibus? At enim jusjurandum quod ad religionem ſpectat, in his conventionibus interponitur. Quaſi verò jurisjurandi ſacramentum ſit iniquitatis vinculum, aut pacto inutili, & illicito vim poſſit & authoritatem tribuere? Quòd ſi juris canonici Doctores audiamus, jusjurandum legitimæ quidem conventioni ſanctitatem addit & firmitatem; ſed legitima id non poteſt efficere, quæ ipſis legibus adverſantur: novo quidem, & arctiori nexu conventa & pacta adſtringit; ſed ex eo prima obligationis, aut vinculi ratio non proficiſcitur [b].

[b] Juramentum vinculum iniquitatis eſſe non debet, & contra legem naturæ inductum nullius eſt momenti. *Quæſt.* 22. *c.* 4. *venientes de jurejurando.*

VI. Quod ſi hujus conſtitutionis originem recordari volumus, profectò illius conditorem, non aliâ quàm propriæ utilitatis ratione ductum hanc Decretalem edidiſſe comperiemus. Eò videlicet animum intendebat, ut quem aſtu, & dolo

Ponti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Pontificatum erat conſecutus, eum novâ lege firmaret: ac ſubinde metuebat ne Celeſtinus, in cujus locum ſucceſſerat, ſuæ dignitati redderetur. Nam tum temporis magnâ animorum contentione jactabatur illa quæſtio, an liceret Papæ Pontificatu cedere, uti à Celeſtino Bonifacii impulſu factum fuerat. Itaque non Conſtitutionem modò Celeſtini V. nomine promulgavit, quâ ejuſmodi ceſſiones à Pontificibus factas revocari non poſſe decernitur; ſed etiam Imperatorum leges, quibus renuntiationes filiorum à parentibus expreſſæ reſcinduntur, abrogare omnino è re ſua eſſe judicavit. *Cap. Quoniam de renunt. in ſext.*

VII. Utcumque res ſe habeat, illud profectò liquet ejuſmodi renuntiationes admodum lubricas eſſe, & periculi plenas. Nuſquam enim magis pietas patrum, aut juſtitia periclitatur, quàm cùm hujus generis pacta firmandæ ſuæ domûs cauſa, moliuntur. Venenum parant, quod ſalubre eſſe nequit, niſi difficilis quædam temperatio acceſſerit. Incendium quippe id minatur, & totius familiæ ruinam; diſcordias, odia, inimicitias, lites affert, niſi ſummâ curâ, & diligentiâ corrigatur [a]. Ne multa, omnis renuntiatio ejuſmodi eſſe debet, ut in ea patris juſtitia cum

[a] Hinc excitantur odia fraterna, & de pecuniæ vilis incremento facinus parricidiale componitur. *D. Ambroſ. lib. 2. de Jacob, & vita beata cap. 2. in principio.*

prudentia conjuncta, amor, pietas denique ſic perluceat, ut ſi quid hinc filius detrimenti patiatur, facilè intelligat id præter voluntatem patris contingere, ac veniam neceſſitati dari oportere.

VIII. Jam ſi pactum illud ceſſionis, de quo potiſſimùm hîc agimus, quodque à Regina Chriſtianiſſima factum fuit, ad eas quæ ſunt expoſitæ veritatis & juſtitiæ leges referatur, id ſanè ex omni parte vitioſum, & legibus contrarium apparebit. Primùm enim illud eſt extra omnem controverſiam poſitum, non ab alio quàm à patre, qui cum filia de renuntiatione paciſcitur, dotem conferri oportere [a]. Nec ratio obſcura eſt: cum enim ſua cuique ex liberis portio legitima in parentum ſucceſſione ex naturæ lege debeatur; qui filiæ indotatæ omnem hæreditatis ſpem pacto renuntiationis præriperet, jus ſanguinis, hoc eſt ſanctiſſimum caritatis inter natos & parentes vinculum, quod ſine nefario ſcelere dirimi non

[a] Si filia habens penes patrem bona materna, renuntiet hæreditati paternæ cum juramento, hac oppoſitâ pactione, ut pater ei det mille aureos pro dote, erit intelligenda hæc conventio in hunc modum, quòd mille aurei ſunt dandi ex bonis paternis, non ex maternis. *Covarr. t.* 1. *relect. cap. Quamvis. in ſext. part.* 3. §. 4. *de pact. & renunt.*
Iaſon. in L. Quoniam. D. de inoff. teſt.
Bart. in l. 1. *Cod. de legit. hæred.*
Matth. de affl. ſup. conſt. Neapol.
Alexander loco citato.
Benedicti in cap. Raynutius in verbo, Duas habens Uxores.
Petrus Anchar. Conſ. 8.

poteſt,

poteſt, omnino violaret [a]. Hoc itaque ante omnia in his controverſiis diligenter excutiendum eſt, an filiæ, quæ ſpem omnem in paterna bona abdicat, dos à patre dicta fuerit, an ſecus: ſi à patre data ſit, intuendum erit ex quibus bonis, paternis videlicet, an alienis; profectitiis, an adventitiis dotem acceperit; ſi perſonæ, dignitatis, facultatum patris ratio habita fuerit. Quòd ſi enim pater, qui de renuntiatione cum filia paciſcitur, nihil in dotem, aut longè minus quàm par ſit, conferat; ſi inter dotem & ea quæ abdicantur bona, non ſit æqua proportio, tum ſanè injuſtitiam patris, qui conjunctionem ſanguinis violare, & hæreditatem filiæ præripere non dubitat, leges vindicant, & pactum iniquum reſolvunt [b]. Quò igitur de renuntiatione, quæ nunc nobis eſt in manibus, quid certi ſit & explorati ſtatuatur, illud inprimis exponendum eſt, quæ dos Reginæ Chriſtianiſſimæ, & qualis fuerit. Ex hoc enim velut fonte manant ea ferè omnia, quæ in controverſiam venire poſſunt: hoc conſtituto reliqua velut ſua ſponte occurrent; hoc denique eſt velut centrum ad quod omnia quæ dicturi ſumus, referentur [c].

a *Lege Si quando.* §. *Et generaliter. Cod. de inoff. teſt. leg. Quoniam novella. Cod. eodem.*

Legitima bonorum portio jure naturæ inducta eſt. *Leg. ult. de bon. damnatorum.*

b Si in renuntiatione filia decipiatur ultra dimidium juſti pretii, agere poterit ratione hujus læſionis reparandæ ex lege ſecundâ Codicis de reſcindendâ venditione. *Covarr. in cap. Quamvis. loco cit.*

c Ut dote contenta nullum ad bona paterna regreſſum haberet. *Cap. Quamvis. de pact. in ſext.*

Reginæ Chriſtianiſſimæ dos ex duplici bonorum genere conſtabat, quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

rum alia è munificentia & liberalitate Regis Catholici expectari oportuit; alia utique jure hæreditario, Matre & Fratre vitâ functis, ad eam pervenerant. Ut potentiſſimi Regis Filia nihil minùs ſperare potuit, quàm quingentos mille nummos aureos: cum anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quinto Annæ Auſtriacæ, quæ nuper cælo recepta eſt, dos eadem & dicta fuerit, & repræſentata. Cum autem ad Reginam Chriſtianiſſimam Matris & Fratris veniſſet hæreditas, non eſt id dubium quin Rex Catholicus Matris dotem ſibi perſolutam, quingenta videlicet nummûm aureorum millia Filiæ ſuæ reddere teneretur. Non potuit etiam quin gemmas quas ipſe Conjugi ſuæ dederat, quæque quinquaginta mille aureorum pretio fuerunt æſtimatæ, præter alias benè multas, & maximi pretii, quas Eliſabetha Regina ex Gallia attulerat, quæque ex ſtipulatione liberis, qui ex eo matrimonio naſcerentur, in proprietatem ceſſerunt; præter mundum muliebrem, & alia ejuſmodi plurima, quæ longum eſt enumerare; adde & quoſdam Belgii Principatus, de quibus idoneo loco dicturi ſumus, quique ad Reginam Chriſtianiſſimam devolutionis jure pertinent; non potuit, inquam, Rex Catholicus quin hæc omnia Filiæ ſuæ reſtitueret, omnino recuſare.

Verùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Verùm eo loco res eſt, ut non modò Rex Hiſpaniarum nihil Filiæ in dotem contulerit, nihil ad illius bona adjecerit, ſed etiam materna illi jura & Fratris hæreditatem detraxerit. Tantine erat quingentûm mille aureorum ſumma, quæ ne perſoluta quidem fuit, ut Filia maternam hæreditatem dimitteret; ut omni omnino jure in futuras ſucceſſiones cederet? Vix ea ſumma pars eſt viceſima hæreditatis, quæ ad Reginam Chriſtianiſſimam pervenerat; & tamen quantulacumque eſt, eâ lege tantùm promittitur, ut illi omnia ſint abdicanda jura, ſeu ea jam obtigerint, ſeu ſpe tantùm præcipiantur; ſeu illi nota fuerint, ſeu incognita; ut omni ſpe ſuccedendi in Caſtellæ regnum, aut alios Hiſpanicæ Dominationis Principatus cùm illa, tum poſteri in omne ævum futuri excludantur: ac demum quæ jus ſanguinis, quæ leges publicæ Hiſpaniarum, quæ conſuetudines illi quocumque titulo, aut ſingulari aut univerſali, tribuere poſſunt, omnino repudiet. Quodnam illud dotis genus eſt ſæculis omnibus inauditum? Nihil pater dat de ſuo; quæ ad filiam pertinent ſibi ſumit, ſpes ejus omnes in futura bona præripit; omni ſucceſſione eam pellit, Regiam poſteritatem Hiſpaniarum imperio exturbat; omni denique Principatu contra leges Regni ſui conditrices penitus excludit. X.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

XI. Ac ne illud quidem dubium eſt, receptam eſſe ab omnibus populis legem à natura ductam, non vetuſtate modò, ſed etiam omnium Gentium uſu conſecratam, ut parentes, qui liberos è ſua poteſtate dimittunt, quocumque id modo fiat, ſeu per emancipationes, ſeu per connubia, partem aliquam bonorum ſuorum iis impertiant. Cum enim liberi in alias domos velut colonias exeunt, quòd unâ jam capi non poſſint domo; naturæ æquitas id exigit, ut quod novæ familiæ conſtituendæ neceſſarium eſt, id parentes benignè conferant. Hoc naturæ, hoc pietatis officium eſt, hoc legibus ſancitum. Quid enim magis è re communi eſſe poteſt, quàm ut illis velut ſurculis, qui ex eadem ſtirpe fruticantur, quique ſunt principia, & quaſi ſeminaria Reipublicæ, neceſſaria tribuantur vitæ præſidia? Quòd ſi quis adeo ſit ab omni ſenſu humanitatis alienus, ut liberos ſuos, qui nullum aliud poſſunt habere perfugium, omnino deſerat, tum quidem licet filiis cum patre ex lege agere [a], ut de re familiari, ſi facultates adſint, his benignè conſulat.

[a] Qui dotem dare nolunt ex Conſtitutione divorum Severi, & Antonini, per Provinciales Præſideſque Provinciarum coguntur in matrimonium collocare, & dotare. *Leg. qui liberos. D. de rit. nupt.*

XII. Quocirca Bonifacius VIII. qui renuntiationis pactum contra jus civile, in noſtros mores primus induxit, hanc non

non inconſultè adhibuit cautionem, ut filia ſuâ ſe dote in paterna bona contentam eſſe jurejurando affirmet [a]: ita ut hac conditione detractâ ejuſmodi pacta rata eſſe non poſſint. Quòd ſi illud non adhibuiſſet temperamentum, nuſquam ejus Conſtitutio authoritatem eſſet conſecuta. Quæ enim eſſet juſtitiæ forma, quæ ratio æquitatis, ut pater filiam indotatam omnibus bonis, ac jure omni in omnem hæreditatem cedere compelleret? Nullus itaque erit huic Conſtitutioni locus, niſi pater filiæ dotem dederit, eaque omnino ad facultates, & perſonæ dignitatem referatur. Hac dote ſublatâ totum illud renuntiationis opus, tamquam ædificium everſo fundamento præceps ruit; eâ lege neglectâ, aut aliqua ex parte labefactatâ, ceſſionis pactum nihilò majorem habet vim, quàm corpus vitâ & ſpiritu privatum; quàm matrimonium conſenſu, quàm ſacramentum formâ ſuâ deſtitutum. Conſuetudo quippe illa à jure novo & poſitivo contra receptas toto orbe leges, & naturâ adverſante profecta, quibus præſcripta eſt finibus, iis arctè eſt cohibenda. Si quæ illi deſint ex conditionibus, quibus ab initio ſepta fuit; nemo non videt ut rem odioſam & legibus contrariam penitus eam rejici oportere [b]: Cum Bonifacius ipſe ejuſmodi pacta irrita

a Quamvis pactum patri factum à filia dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regreſſum haberet, improbat lex civilis, &c. *Cap. Quamvis. de pact. in ſext.*

b Non debet renuntiatio robur habere, niſi cunctis quæ caſum ſpecialem inducunt obſervatis. *Bereng. Fernand. pact, de non ſucced. Et l.* 44. §. *conditio. Dig. de verb. oblig.*

eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

eſſe velit, niſi dos legitima, quâque filia ſit contenta, acceſſerit. Quid enim cauſæ eſſet cur ea jus omne in omnem hæreditatem repudiaret, nullâ à patre acceptâ, nec ſperatâ dote? Præſertim cum is filiam indotatam collocare legibus ipſis prohibeatur [a]; nec filiæ tanta fiat injuria, ſi dotem à patre nullam acceperit, quanta ſi ſpe omni paternæ hæreditatis, quæ extremum eſt illi perfugium, renuntiationis pacto dejiciatur. Illud quidem acerbum & iniquum, filiam à patre ſine dote dimitti: ſed multò magis inhumanum videtur omnem ei ſpem ſucceſſionis præripere.

a Dictâ lege qui liberos. *D. de rit. nupt.*

XIII. Quod igitur fundamentum hujus quæſtionis eſt, id præclarè jactum arbitramur; omne renuntiationis pactum, niſi dos à patre data fuerit, etiamſi filiæ aliunde obvenerint bona, reſcindi oportere. Id enim non modò jure civili ſancitum eſt [b], ſed etiam omnium Doctorum conſenſu firmatum, non excludi filiam renuntiationis pacto, niſi à ſucceſſione ejus qui de ſuis facultatibus dotem dederit. [c] Dos ipſa, quod ſæpe dicendum eſt, debetur lege naturæ; ex paternis, non alienis bonis eſt decerpenda: ut pater filiam ex parte ſui deciſa procreavit, ſic juſtitiæ ra-

b *Leon. Nov.* 21. & *l.* 1. *Cod. de dot. promiſ.*

c Non excluditur per renuntiationem niſi à ſucceſſione dotantis, unde ſi de propriis bonis filia fuerit dotata, non eſt excluſa. *Bened. C. Raynutius in verbo duas habens uxores.*

Pater dotavit filiam de bonis uxoris; numquid iſta filia habebit regreſſum ad bona paterna? Reſpondeo, quòd ſic, quia iſta cum effectu non eſt à patre dotata. *Bald. in l. Neque mater. Cod de Iu. dot.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

tio id exigit, ut filia in portionem quoque paternæ hæreditatis vocetur. Hinc dos optimè à Juriſconſulto his verbis definitur; *Profectitia*, inquit, *dos eſt quæ à patre, vel parente profecta eſt, de bonis, vel facto ejus* [a]. Quapropter, ut pater materna bona filiæ reſtituerit; quod debebat exſolverit, depoſitum reddiderit: ſi nihil in ejus dotem largiatur, nec patris, nec naturæ officio defungitur.

a *L. Profectitia. D. de jure dot.*

XIV.

Quæſitum olim fuit, an quæ debitor creditori legaverit, ſint utilia? Reſponſum quidem eſt ea non valere; *ſi nihil plus eſt in legato, quam in debito, quia nihil amplius habet per legatum* [b]. Par & una eſt ratio viri, qui uxori dotem legaverit, quam reddere tenebatur [c]. Quo quidem motus vir magni nominis, & inter Juriſperitos nobilis, negavit Lotharingiæ Ducem filiæ ſuæ, quam Comiti Naſſavio nuptum dederat, quicquam dotis titulo contuliſſe: tametſi centum millia librarum eo nomine perſolviſſet; quòd maternis eam bonis, quæ longe erant uberiora, cedere coëgiſſet [d]. Hanc quoque rationem ſecutus videtur Benedicti, cum docet filiam, quæ renuntiavit, non alia ſucceſſione quam ejus qui conſtituit dotem, repelli [e]. Id ipſum Berengarius Fernandes in peculiari tractatu, quem de renuntiatione conſcripſit, diſtinctè & dilu-

b *De Legat. §. Si quis.*

c *Inſtit. eodem. §. ſeq.*

d Ex quo ſequitur quòd dicta dos centum millium, non eſt profectitia à patre, quia propriè non eſt de bonis & facto patris. *Mol. Conſ. 52. n. 29.*

e *Cap. Raynutius. in verb. Duas habens uxores. n. 174.*

dilucidè demonſtrat, filiam videlicet quæ nullam à patre acceperit dotem præter matris, aut fratris, quæque jam obvenerant bona, non poſſe à paterna hæreditate removeri, quantumvis jurejurando fidem obſtrinxerit. Negat enim Bonifacii conſtitutionem intelligi aliter poſſe, quàm de ſucceſſione ejus, qui de re ſua filiam dotaverit [a]. Quòd autem illa Decretalis nullam ceſſioni, quam pater ab indotata filia exigeret, vim & authoritatem tribuat, nec alia ſit mens Bonifacii Papæ, ex dictis facilè colligitur. Cùm enim id genus renuntiationum juri civili, & communi æquitati repugnet, eâ ſolùm ratione excuſari poteſt, quòd dos accepta partis legitimæ vicem obtineat. Quapropter omnino injuſtum foret, pactum illud ceſſionis ad alias trahere hæreditates, quàm quæ à patre deſcenderint. Nam ut pater, aut quiſquis alius qui dotem dederit, & abdicationis pactum exegerit, jam portione bonorum ſuorum legitimâ, quam ſervare tenebatur, dotis nomine in anteceſſum filiam donaverit; hoc quidem nihil detrahit de jure ſucceſſionum, quæ aliunde poſſunt contingere. Hinc ſapienter Baldus, ut multa, negat patrem, qui de ſuis bonis, atque ut loquitur, cum effectu, filiæ dotem non dederit, poſſe cum ea paciſci de repudianda hæreditate, quòd fortè jura quæ alio titulo ad filiam pervenerant, reſti-

a Licet enim per inſtrumentum conſtet de renuntiatione facta: quia tamen ſit lege reſiſtente, juramentum non obeſt, neque datur illi juramento robur ex cap. Quamvis, quia loquitur de renuntiatione facta illi, à quo filia dotem congruam accepit, cum renuntiationis fundamentum potiſſimum eſt ex receptione portionis congruæ. *Fernand. tract. de renuntiat.*

reſtituat. Nam de alienis bonis dotem dicere, aut conſtituere, id quidem eſt alterius agere negotium, & procuratoris, non patris munus exequi [a]. Sed præter cæteros vir ſummâ inter Hiſpanos Juriſconſultos authoritate, rem totam de qua nunc agimus, in tractatu quem in Bonifacii Conſtitutionem edidit, apertiſſimè explicat. Exemplo utitur filiæ, quæ cùm major eſſet viginti quinque annis, jurejurando firmatâ fide, paternâ ceſſerit hæreditate; tametſi nihil à patre dotis nomine præter materna bona acceperit: tum quærit an illa valere debeat repudiatio, Negat prorſus, quod in eo caſu gravis læſio interceſſerit. Hinc concludit ejuſmodi renuntiationes reſcindi oportere, neque eas Conſtitutione Bonifacii ulla ratione muniri; cum illæ dumtaxat probentur, quas de ſuis bonis collatâ dote patres exigunt: nec quicquam eſſe abſurdius, quam filiam quæ nihil acceperit, omni hæreditatis ſpe dejici [b]. In eadem ſententia longè ante fuit Ancharanus recens ille quidem à Bonifacii ſæculo. Hic Conſtitutionem eodem modo intelligi opor-

[a] Statutum per verbum dotare, jus ſignificat, non actum nudi miniſterii. *In dict. L. Neque mater. Cod. de jure dot.*

[b] Filia etiam major renuntians hæreditati paternæ, & futuræ, receptâ dote ex bonis maternis, licet juramentum præſtiterit, poterit ex cauſa graviſſimæ læſionis agere ad pacti reſciſſionem. Etenim nemo negare poteſt quin in hoc caſu graviſſima, & admodum enormis læſio contigerit, nec in hac ſpecie locus eſt deciſioni hujus capitis, cum in eo tractetur de filiâ renuntiante hæreditati paternæ acceptâ dote à patre ex bonis ipſius patris. *Covarruvias*. 1. *Rel. part*. 3. §. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

tere perſpicue demonſtrat : ſecus eam fore penitus inhumanam ; & parentes, qui ejus generis renuntiationes extorquent, injurioſos eſſe in naturam docet ac dolum quemdam in legem ipſam machinari [a]. Quid porro neceſſe eſt hoc loco tot convocare Doctores, cum unus inſtar omnium ſit Montalvus maximâ authoritate & prudentiâ, regni Caſtellani Auditor, & præcipuus quondam Hiſpaniarum Regis Adminiſter? Hic cauſâ conſtitutâ noſtræ ſimillimâ nullum omnino dubitationi locum videtur relinquere. Pater, inquit, filiam ex priori connubio genuerat, ad quam & avi, & matris bona hæreditario jure pervenerant; hanc viginti quinque annis minorem tum collocat, cum is jam ex ſecundis nuptiis alios liberos procreavit: certam ei pecuniæ ſummam in dotem promittit, ea quidem lege ut cùm ipſa, tum maritus cedant jure omni in omnem hæreditatem quâ delatam, quâ futuram:

[a] Supervenit jus canonicum, quo jure filia poteſt cum patre paciſci ut dote contenta nullum habeat regreſſum ad paterna bona, niſi juramentum fuerit præſtitum vi, vel dolo, ut eſt caſus in cap. Quamvis. de pact. in ſext. ſuper quo capite ſcribo & dico, ponderandum textum in duobus quoad noſtrum propoſitum. Primum in quantum dicit dote contenta, ex quo probatur quòd illud caput debet intelligi, quando filia renuntians recepit in bonis patris vel matris illud quod ſuccedit in loco legitimæ, id eſt dotem, ut notat Bartolus, Cyrus, &c. Quando verò non recepit dotem bonis renuntians, jus civile remanet incorrectum. Illud caput quod venit ad correctionem juris civilis in tali caſu non loquitur, nec debet ad eum extendi; nam cum hæreditas parentum debeatur filiis naturali voto, per renuntiationem meram nihilo percepto, eſſet valde inhumanum & rigoroſum hoc caſu valere, &c. Ex illis infertur quoad hæreditatem maternam ex cujus bonis nihil percipit, non valere renuntiationem etiam juramento vallatam, quòd dictum cap. Quamvis, in hoc caſu non loquatur, & ita conſului & dixi quod erat dolus res ipſa. *Super cap. Quamvis.*

jure-

jurejurando fidem eorum obſtringit. Ubi major viginti quinque annis facta eſt filia, reſtitutionem in integrum petit. Quæſtionem vir imprimis doctus quantâ poteſt ſubtilitate maximâ in utramque agitat partem: libratis utrimque rationum momentis, iiſque ad jus civile, ad leges Hiſpanicas, ad conſtitutionem ipſam Bonifacii, ad receptos mores, & naturalem æquitatem diligenter expenſis, tandem ejuſmodi renuntiationem omnis omnino expertem eſſe juſtitiæ, legibus repugnare, nec ullo modo defendi poſſe acutiſſimè concludit [a]. Unde, quæſo, inter juris peritiſſimos tanta conſenſio, niſi quòd naturam ipſam & æquitatem velut ducem ſecuti, quæ dotem, aut aliquam donationem, ut quædam appendices, aut acceſſiones ſubſequuntur, eadem eſſe ad ejus ſucceſſionem referenda, à quo dos, vel donatio profecta ſit, judicarunt? Quid enim eſſe poteſt cur ad aliena bona exigantur, quæ nihil ad eum qui conſtituit dotem, pertineant, neque adeo ullius obligationis, vel naturalis, vel civilis vinculo illum poſſint exſolvere [b]. Hac igitur ratione ducti plerique omnes Juriſconſulti in ea ſunt opinione, ut exiſtiment pactum renuntiationis dote ipſâ tamquam fundamento niti oportere; adeo ut ex paternis ea bonis, non aliunde repetatur; quin etiam dotem omnino ad facultates, & digni-

a *Comment. in leges fori lib, 1. tit. 2. l. 8.*

b *L. Per illam. Cod. de collat.*

dignitatem patris eſſe referendam, neque aliter renuntiationem ſtare poſſe, etiamſi dos fuerit à patre conſtituta, ſumma conſenſione decernunt. Cum enim ejuſmodi pacta (quod idemtidem monuimus) ut civili, ſic naturali juri adverſentur, cavendum inprimis eſſe putant, ne patres poteſtate ſibi naturâ repugnante, conceſſâ abutantur; neve obtentu renuntiationis filias collatâ dote tenuiori, à portione legitima ſummoveant. Quantùm vero id periculoſum foret Reipublicæ, ſi non manifeſtum eſſet ratione, tamen exemplis crederemus. Nec dubium eſt, quin illud maximè ad publicos mores pertineat, ut mulieres ſuâ dote, aut portione legitimâ non fraudentur. Quod ſi enim conſiderare volumus quæ & quanta ſequioris ſexûs egeſtatem ſequantur incommoda, profectò intelligemus ea longè eſſe graviora, quàm quod ex auctis filiorum opibus patres ſperare poſſunt emolumenti [a]. Ex quibus maximè id quod volumus efficitur, nullius eſſe momenti renuntiationem, quam pater exigit, niſi idem ex ſuis bonis dotem conſtituerit. Quod cum in univerſum omnino verum eſſe conſtat, tum multò id maximè in ea quam tractamus quæſtione perſpicuum eſſe debet: quando ex uſu in Hiſpania recepto, non poteſt filia excludi à portione ſua legitima, quæcumque renuntiatio interceſſerit [b]. Eam porro eſſe regu-

a Reipublicæ intereſt mulieres dotes ſalvas habere propter quas nubere poſſiut. *L.* 2. *Dig. de jure dot.*

Dotis cauſa perpetua eſt. *L.* 1. *D. eod.*

b *Lege* 11. *tit.* 4. *de la ſexta partida.*

regulam omnium Doctorum conſenſu firmatam, eum quoque in Hiſpania uſum obtinere, ut nulla ſit renuntiatio cum filia minus quàm portionem legitimam accepit, præter cæteros teſtantur Didacus Covarruvias Segovienſis Epiſcopus [a], & Gregorius Nattan, ambo in juris ſcientia peritiſſimi [b].

a Si læſio graviſſima contigerit, renuntiatio nulla eſt, ex omnium Doctorum ſententiâ, quorum ea eſt concors ratio, quòd jurans non videatur in tantam læſionem conſenſiſſe: præſertim quia ita gravis læſio non poteſt abſque vero dolo alterius contrahentium contingere. *In cap. Quamvis. part.* 1. §. 3. *n.* 3.

b Limita hanc Decretalem non habere locum ubi puella renunciavit hæreditati paternæ cum juramento, ſi interveniat deceptio ultra dimidium: nam ibi ceſſat juſtitia, cum ſit evidens iniquitas, & dolus reipſa reſcindit contractum, ſicut dolus ex propoſito. *In cap. Quamvis.*

Sed quid juris Interpretum teſtimonia colligimus, cum hoc ipſum lege municipali Hiſpanorum ſancitum fuerit, nullo videlicet contractu, aut pacto liberos ſua portione legitima ſpoliari poſſe; cumque id juris ex naſcendi ſorte deſcendat, pater qui illud filiæ tentat eripere, furti quodammodo in naturam ipſam ſe alligat [c]. XV.

c *Dictâ lege* 11. *tit.* 4. *in ſexta partida.*

Quocirca pactum omne renuntiationis, ni dotem pater ipſe de ſuis facultatibus dederit, duplici ratione nullum eſſe contendimus. Primùm quòd filiæ, quæ nihil legitimæ loco recepit, gravis inferatur injuria; quæ quidem, ut loquuntur, enormis læſio in manifeſtum dolum XVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

dolum ac fraudem degenerat. Neque id dubium eſt, ſtipulationem omnem aut conventionem hoc vitio infectam, jure ipſo & legibus reſcindi [a]. Præterea non alibi magis bonam fidem, & veritatem dominari oportet, quàm in nuptiali fœdere, quod caritatis & benevolentiæ eſt vinculum. Quid ergo, ſi hoc fœdere pater ſic abutitur, ut filiam portione legitimâ quæque ex jure naturæ debetur, exuat; an non violabit jura ſanguinis? An poterit ad ſe, vel alios liberos transferre, quæ contra leges, contra communem æquitatem filiæ detraxerit? Itaque palam eſt illam renuntiationis, de qua jam diu loquimur, clauſulam nullius eſſe momenti: cum Rex Catholicus nihil filiæ dederit in dotem, nec quicquam de ſuis bonis ſit pollicitus; quin potiùs maternam illius hæreditatem ad ſe converterit: cum denique odioſa ſint hujus generis pacta, quæ adverſante fiunt, & repugnante natura.

a L. 2. Dig. de except. doli. L. ſi ſuperſtite. Cod. de dolo.

XVII. Sit itaque hujus loci finis, & quæ uberiùs diſputata fuit, concluſa ſit ratio: Regem videlicet Catholicum nihil de ſuis bonis in filiæ ſuæ dotem erogaſſe; & quam pecuniæ ſummam promiſit, partem hæreditatis quæ ad Reginam venit, cùm ex matre Eliſabetha, tum ex fratre Balthaſare, eſſe perexiguam; atque adeò irritam eſſe & inutilem renuntiationem; cum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

umque id vitii in ipſa velut radice hæreat, actum omnino inficere, neque ullo mo- lo excuſari, aut elui poſſe. Sed non deeſt obis aliarum copia rationum, quibus hoc pſum efficitur, & renuntiationis opus unditùs evertitur.

I.

Secunda ratio adverſus renuntiationem exponitur; conditionem ipſam ex qua pactum illud ſuſpenſum fuit, non impletam fuiſſe.

PRoximum itaque eſt ut renuntiationis pactum nullius eſſe momenti hinc lemonſtremus, quòd propoſita & accepta conditio impleta non fuerit. Hoc nim maximè ad cauſam videtur pertinere, quòd pecunia in dotem promiſa conſtitutis temporibus non fuerit numerata. Id certè vel prima juris elementa ut rem teſtatam, & exploratam radunt, hoc inter præſcriptam à lege, ab ipſo contractu diem eſſe diſcriminis; quòd ſi quis definitum à lege tempus tranſilierit, non continuo inſtrumentum ipſum, aut conventum reſcinitur*; neque ulla huic moræ eſt adjunta pœna, niſi cum interpellationi parêre recuſavit. Sed ubi ex conventione, ut contractu dies fatalis eſt præſtitua, tum nihil neceſſe eſt eum qui promiſit, aut verbo, aut ſcripto commonee. Quiſquis enim ad diem pretium non olvit, aut promiſſa non facit, huic nora imputatur; vel contractus hoc oſo ſtatim reſolvitur. Neque obſcura ſt hujus diſcriminis ratio. Non enim què tenentur omnes univerſam juris,

ac legum ſcientiam perſpectam habere, &
animo complecti. Quare ſi dies præſcri-
ptus à lege præterierit, non idcirco aliquis
in mora futurus eſt, niſi antè fuerit ad-
monitus. At nemini licet eorum quæ
promiſit eſſe immemori: neque neceſſe
eſt ut dies quam ipſe conſtituit, in ejus me-
moriam revocetur. Nam quæque tem-
poris momenta indeſinenter eum admo-
nent, & quodammodo interpellant. Hinc
illud Juriſperitorum effatum jam penè in
proverbii conſuetudinem venit, *dies in-
terpellat pro homine.*

II. Non equidem abnuerim, id juris non
ſemper uſurpatum fuiſſe. Primùm enim
in gratiam pupillorum adverſus tutores
conceſſum fuit; tum in lege commiſſo
riâ id quoque obtinuit, ut ſi ad diem em-
ptor pretium non ſolviſſet, venditio re-
ſolveretur, & ipſo jure fundi dominium
ad venditorem recurreret [a]. Tandem ve-
teres Juriſconſulti ipſâ æquitate, ex qu
jus omne deſcendit, & ratione ducti, quod
ante in pupillorum, & venditorum gra
tiam privilegium fuerat, aut communi
juris exceptio, id legis univerſæ ut habe
ret authoritatem, variis deciſionibus a
reſponſis effecerunt [b]. Cum tamen ea
leges variis ſubinde eluderentur cavillis
Juſtinianus Imperator quò omnem ca

a Cum venditor fundi id lege ita caverit, ſi ad diem pecunia ſoluta non ſit, ut fundus inemptus ſit; ita accipitur inemptus eſſe fundus, ſi venditor inemptum eſſe voluerit. *l.2. D.de leg.com.*

b *L. Traject. pecuniæ. D. de oblig. & act. L. ad diem. D. de verb. oblig. L. 9. §. ultimo, De uſuris, L. 13. D. de fideic. lib.*

lumnia

lumniæ locum præcîderet, legem edidit, quâ nihil opus eſſe interpellatione, cum dies certa in contractu fuit appoſita, ſancitum eſt [a].

[a] Magnam legum veterum obſcuritatem, quæ protrahendarum litium magnam occaſionem uſque adhuc præbebat, amputantes, ſancimus, ut ſi quis certo tempore facturum ſe aliquid, vel daturum ſtipuletur, vel quæ ſtipulator voluerit, promiſerit & adjecerit: quòd ſi ſtatuto tempore minimè hæc perfecta fuerint, certam pœnam dabit: ſciat minimè ſe poſſe debitor ad evitandam pœnam adjicere quòd nullus eum admonuit, ſed etiam citra ullam admonitionem eidem pœnæ pro ſtipulationis tenore fiet obnoxius: cum ea quæ promiſerit ipſe in memoriâ ſua ſervare, non ab aliis manifeſtari ſibi debeat poſcere. *L. 12. Cod. de contrah. & commit. ſtipul.*

Hinc tamen orta eſt quæſtio duplex: prior, an contractus, quibus nulla adjecta eſt pœna, hâc lege reſcindantur, cum intra diem pretium non ſolvitur: altera utrum debitor qui in mora fuit, pecuniam offerendo effugiat pœnam. Utriuſque quæſtionis facilis eſt & expedita ſolutio. Primùm enim dubitare nemo poteſt, quin principalis obligatio multo magis eâ lege, & conditione cenſeatur, quàm pœna ipſa, quæ odioſa eſt & acerba: cum durum videatur ut quis quid ſolvat, quod non acceperit. Sed quid magis iniquum quàm ut is qui pecuniam, aut rem ipſam in ſuos uſus convertit, fidem ſuam non liberet? Cur in pœnam incurritur, cum ea in contractu adjecta eſt; cumque dies certa & conſtituta præteriit, adeò ut tum nihil ſit opus interpellatione? Quid eſt III.

cur ea requiratur, quò præcipuæ obligationi debitor ſatisfacere teneatur? Hinc meritò vir ſingularis doctrinæ Jac. Cujacius hanc Juſtiniani legem explicans, negat hîc ullum eſſe controverſiæ locum; ſed eos cavillari, qui neceſſariam tum eſſe interpellationem volunt, cum principali obligationi nulla eſt pœna ſubjecta. *Quandoquidem*, inquit, *mora fit ex re, id eſt ex tempore ipſo tardæ ſolutionis, etiam non interpellante creditore* [a]. In eadem eſt ſententia Molinæus, qui hac re quæſitâ, & multùm diſputatâ, concludit patrem, qui filiæ, ut renuntiaret, dotem in diem certum promiſerat, neque eam tamen exſolverat, moram culpæ diluere, aut purgare ampliùs non poſſe, [b] quòd dos illa ſit

a Ergo moram facit ex eo die cujus non eſt immemor, aut eſſe non debet: etiamſi non interpelletur, & non conveniatur. Ex quo etiam ſequitur, ſi nolumus cavillari, & hoc veriſſimum eſſe, non ſolùm ſi obligationi principali quæ eſt ad diem, ſit ſubjecta ſtipulatio pœnalis, ſed etiam ſi pœna ſubjecta non ſit.

Quia ubi certus dies præſcriptus eſt ſolutioni, nec ullâ interpellatione creditoris opus eſt: quandoquidem mora fit ex re, id eſt ex tempore ipſo tardæ ſolutionis, etiam non interpellante creditore: nimirum quia dies ſatis interpellat, ſatis admonet debitorem, & ipſe ſibi debitor, qui diem non ignorat, verum, & æquum ſibi denuntiare, & ipſe ſeipſum interpellare debet.

b In contractu matrimonii adeſt favor dotis, & prædicta tantò magis vera ſunt, quando filia vel gener aliquid dant, vel faciunt: ut nuper habui quæſtionem de patre, qui filiæ nubenti, quam faciebat renuntiare futuræ ſucceſſioni ſuæ opulentæ, promiſit decem millia in dotem, quæ niſi ſolverentur intra trimeſtre, dedit & conſtituit in dotem quingentas libras perpetui, & non redimibilis reditus ſuper bonis ſuis; non eſt dubium quin pactum valeat, quia dictus reditus non ſolùm eſt vera dos eo caſu ſuâ ſponte conſtituta, ſed etiam conſtituta contemplatione renuntiationis futuræ ſucceſſioni. *Tract. de uſur. quæſt. 52, num. 372.*

duplici

duplici nomine favorabilis, vel quòd jure naturæ debeatur; vel quòd renuntiationis pretio ſit quodammodo conſtituta. Quamobrem cum ejuſmodi caſus incidunt, aut pœna, ſi quæ ſit adjecta, erit omnino ſubeunda; aut res ipſa ad jus commune, quaſi nulla interceſſerit renuntiatio, erit revocanda. Atque hæc eſt omnium penè Doctorum, ut Marci Baverii Bononienſis[a], Stephani Forcatuli[b], Joannis Saportæ, & aliorum ſtabilis certaque ſententia. Quod ſi hos Authores ut externos contemnant Hiſpani, quid adverſus proprias leges[c], quid adverſus Montalvum locupletiſſimum ſcriptorem excipiant, ne ſuſpicari quidem poſſumus. Is enim cum eas explicat Hiſpaniæ leges, idipſum quod intendimus, præclarè confirmat; præterito videlicet quod conſtitutum erat tempore, nihil eſſe neceſſe ut creditor interpellet.

a *Tract. de mora, & ejus effectibus, part.2.num.1.*

Dies lapſus debitorem abſque ulla interpellatione conſtituit in mora.

b *Tract. de mora, parte 3. n. 4.*

In legis commiſſoriæ pacto, ſi non certa die pretium perſolvatur, non eſt neceſſe interpellari amplius emptorem, ſed eſt ab emptione diſceſſum, ſi venditori placuerit.

Tract. de mora num. 52.

Scire igitur debemus quoties in contractibus dies adjecta eſt, moram ſine dubio committi die ſolutionis.

c *L. 8. tit. 14. part. 5.*

Solutio facienda in termino à legibus præfixo, etiamſi creditor non interpellet debitorem.

IV.

Nec diutiùs nos morabitur id quod ſecundo loco quæſitum eſt, cum nihil penè habeat dubitationis: fruſtra enim in contractu fuit præſtituta dies, ſi in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

tegrum ſit debitori elapſo fatali tempore, culpam moræ diluere, & pecuniam offerendo pœnam omnem effugere. Præſertim cum id temporis fuerit creditoris benignitate conceſſum; neque adeò debitor ut ſibi id novæ apponatur gratiæ, poſſit exigere, cum ab ea quam jam accepit, ſuâ cunctatione exciderit. Hoc quidem leges, hoc juris Interpretes, hoc æquitas ipſa perſuadet. Nam ut is qui moram fecit, pecuniam poſtea offerat, nihilominus in pœnam incurrit, ut jure civili ſancitum eſt. Hinc Cujacius, cum in legem Trajectitiam ſcribit; *Seram eſſe eam pecuniæ oblationem, nec die præterito integrum eſſe emptori pretium offerre invito creditore, & pœnam evitare*, ut rem confeſſam, & minimè dubiam tradit. Huic accedit Argentreus, qui negat *neceſſariam eſſe interpellationem*, ſi dies certa in obligatione adjecta fuerit [a]. Cumque hæc res ſit teſtatiſſima, atque ab omnibus penè Juriſperitis recepta, nihil neceſſe eſt plura in ejus confirmationem proferre teſtimonia. Quod ſi quis hujus legis vim & rationem ab ipſo velut fonte velit repetere; iſque quærat quidnam ſit, cur in his contractibus, quibus dies certa præſcribitur, nihil opus ſit interpellatione, has cauſas inveniet duas: unam, quòd dies certa ſit pars quædam obligationis, & eſſentiam

[a] Summatio non eſt neceſſaria, ſi dies certa in obligatione eſt appoſita, ſemper enim dies interpellat. Itaque de viribus aut ordine ſummationis non eſt recipienda controverſia, an congruo loco facta ſit, præſuppoſitâ die interpellatrice, quæ quotidie interpellat. *In act.* 17. *Conſ. Brit.*

quo-

quodammodo contractûs attingat: quò enim ſolutio in longius differtur tempus, hôc de pretio magis decedit. Qui igitur in mora eſt, is quidem in hoc offendit quod ad ipſam contractûs ſubſtantiam pertinet [a]. Altera hujus legis ratio ex eo potiſſimùm ducitur, quòd actiones quas contractus parit, quæque ex ſtipulatu ſolent appellari, ſtricti ſint juris, ab iis quæ bonæ fidei dicuntur, vel eo maximè ſejunctæ, quòd in his prudentiæ & libero Judicis permittatur arbitrio, ut tempus aut dilatio concedatur; ſed in iis quæ ſtricti ſunt juris, leges à contrahentibus conſtitutæ, omninò ſervandæ ſint. Cumque dies fuit definita, tum judici non licet tempus producere, ac nihil amplius illi relinquitur, quàm ut eum qui in pœnam incurrit ſtipulatione comprehenſam, ſententiâ ſuâ condemnet.

a Dies eſt pars obligationis, *toto Tit. D. de oblig.* Dies ſolutionis ſicuti ſumma pars eſt ſtipulationis. *L.* 1. §. 1. *D. de edendo.*

V. Quæ quidem rationes cum in omni contractuum genere, tum maximè in dotis pollicitatione valere debent; cum dos jure naturæ debeatur; neque adeo ex animo patris, qui in diem certum eam promiſit, exuri ullo modo poſſit; niſi ſi quis velit, ut obligationis à natura profectæ, quæque parentum animis innata & inſculpta eſt, eos capiat oblivio. Accedit illud quoque quòd pater qui conditionem non implevit, nec quod promiſerat, conſtitutâ die exſolvit, nullam ſubeat pœnam,

quando pactum renuntiationis reſcinditur; niſi id fortè pœnam vocas, cum res omnis ad præſcriptum naturæ ordinem, & jus civile, quod eas renuntiationes non probat, omnino revocatur.

VI. Ex quibus ſanè efficitur, pactum renuntiationis, de quo nunc contendimus, vel eò infirmari, quòd conditio cui erat illigatum, non fuerit ſubſecuta. Sed idem multò erit apertius, ſi clauſulæ ipſius verba acriori animo perpendantur. Nam ut res tota non eſſet à jure civili, & prudentum reſponſis judicata; ut nullum eſſet dotis privilegium; leges ipſæ contractuum nos dubitare non ſinunt, quin pecuniæ ſummâ præſcriptis temporibus non ſolutâ, renuntiationis pactum corruere neceſſe ſit.

VII. Poſtquam enim Rex Catholicus, uti ſuprà diximus, quingentûm millium aureorum ſummam intra octodecim menſes in dotem ſe numeraturum recepit; in hæc penè verba renuntiationis formula concepta fuit: *Sereniſſimam Infantem prædictâ dote ſic contentam fore, ut nullum poſtea jus aliud poſſit obtendere; ſi modò ea ſumma quingentûm mille nummûm aureorum, aut quod tanti erit, Regi Chriſtianiſſimo ſtatutis temporibus actu, & reipſâ perſolvatur.* Singula diligenter excutiamus.

Primùm

Primum itaque Rex Catholicus dotem promittit, nec Sereniſſima Infans ſic illud promiſſum accepto fert, ut nihil ampliùs præſtari ſibi poſtulet. Neque enim illam dotis pollicitationem Regina in ſolutum accipit: ſed ita cum Patre paciſcitur, ut dotem, non verba ſibi dari velit. Quin etiam ſe jure ſuo non aliter ceſſuram, quàm numeratâ antè pecuniâ, ſtipulatur. Nec demum ſolutionis diem Catholici Regis permittit arbitrio, ſed negat ſibi aliter ſatisfactum iri, quàm pecuniæ ſummâ conſtitutis temporibus perſolutâ. Poſtremò non actu & in tempus præſens renuntiat: ſed pollicetur fore ut jura ſua repudiet, dummodò ea pecuniæ ſumma intra ſeſquiannum fuerit repræſentata. Quod utique cum omiſſum fuerit & neglectum à Rege Catholico, nemini dubium eſſe poteſt ipſam quoque renuntiationem aut conventionem pariter extinctam fuiſſe. Quis enim non videt ex ipſius clauſulæ contextu, Regem Catholicum priùs ad dotem perſolvendam obſtrictum, quàm Sereniſſima Infans futuram renuntiationem promiſerit? adeo ut pecuniæ numeratio ſit intima atque, ut loquuntur, formalis renuntiationis conditio, eique velut fundamentum omnino ſubſternatur. VIII.

Quod cum ita ſit, jam quærimus an IX.

effectus cauſæ ſuæ præire debeat? an ſtare poſſit illud renuntiationis pactum ſuo fundamento deſtitutum? Et quidem ſi rerum ſcriptarum ordinem ſequi volumus, Rex Catholicus, qui priùs dotem eſt pollicitus, promiſſa antè facere tenetur, quàm Regina ſua jura repudiet. Id etiam maximè ſecundùm naturam eſt, ut pater priùs in filiam benignè quid conferat, quàm ut ab ea quicquam velut ex mutuo poſſit exigere. Jam ſi ad Bonifacii Decretalem nos revocant, dos quoque renuntiationem præcedat neceſſe eſt: cum enim Rex Catholicus hanc abdicationem, quæ cùm ſibi, tum liberis lucro cederet, ea lege pepigerit, ut dos intra conſtitutum tempus ſolveretur, huic muneri antè ab eo ſatisfactum oportuit, quàm poſſet illius repudiationis beneficio frui. Quiſquis enim de re cui onus adjunctum eſt, acquirenda cogitat, huic priùs ſubeundum eſt onus & implendum, quàm rei ipſius emolumenta percipiat; ut præter cæteros Molinæus doctè ac ſapienter tradit [a]. Neque enim æquitatis ratio patitur, ut quis ad ſe rapiat aliorum commoda, oneribus detractis.

[a] Sive expreſſè, ſive tacitè de intentione diſponentis appareat certum onus quibuſcunque verbis expreſſum, priùs implendum eſt, quàm emolumentum accipiatur. *Tit. des fiefs.* §. 20. *gl.* 7. *in verbo* en payant.

X. Atque haud ſcimus utrum magis demiremur, aut Regi Catholico eam legem,

gem, ex qua vim omnem & velut ſpiritum traheret illa conventio, penitus neglectam fuiſſe; aut Hiſpanorum pertinaciam, qui renuntiationis clauſulam ſuâ conditione deſtitutam valere & religioſè ſervari oportere pertendunt. Quem enim fugit conditiones, quæ inſtrumentis publicis, aut contractibus adhibentur inſtar luminis [a], vim ſuam in momento temporis exerere, & effectum omnem ſuum ſtatim conſequi: ita ut ſi adſint illæ conditiones, vim & robur tribuant conventioni, ſi deſint, ſimul & pactum ipſum reſolvatur. Ex quo itaque Rex Catholicus quæ promiſerat non perfecit, ſtatim remotis velut obicibus, quos renuntiatio omnibus ſuis munita formulis, afferre potuiſſet, Reginæ Chriſtianiſſimæ patefactus eſt aditus ad omnes hæreditates, quæ ex naſcendi lege ad eam pervenerant. Nec fuit ampliùs in poteſtate Regis Hiſpaniarum, ut renuntiationi, quæ jam non ſecutâ conditione fuerat extincta, vim & quaſi vitam redderet: ſiquidem ut contractus ex eorum, qui inter ſe paciſcuntur, mutuo conſenſu originem ſuam ducit: ita ſemel extinctus nequit convaleſcere, niſi utriuſque voluntas & conſenſus accedat: ac neuter contrahentium jus alteri quæſitum ex conditionis defectu, poteſt invito detrahere [b].

a *L. Cum uxor. D. quando dies legati, &c.*

b *L. 44. §. conditio. D. de verb. oblig.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

XI. Jam quis neſcit non aliam huic voci, *dummodò*, *vel eâ lege*, vim ſubeſſe, quàm pecuniâ ſtatutis temporibus non ſolutâ, Sereniſſimam Infantem minimè contentam fore? Quis enim non cernit hanc vocem in puram conditionem faceſſere; neque aliter eam intelligi poſſe, quàm fore ut Regina ſua repudiet jura, ſi modò præſcriptis temporibus quingenta nummûm aureorum millia numerentur: nec ulla futura ſit conventio hac conditione defecta? An quicquam magis ad ſubſtantiam hujus pacti vel contractûs pertinet, quàm vox illa conditionata, quam ſæpe nomino (*ſi modò*,) quàm illa demum pecuniæ repræſentatio? Palam eſt profectò id verbi ad futurum tempus referri, quod quidem eſt veræ conditionis argumentum. Atque ut eumdem locum ſæpius urgeam, hunc habet intellectum, quòd non aliter Reginæ fiet ſatis, niſi dos aut pecunia die conſtitutâ perſolvatur. Cum autem aliquis de jure ſuo certâ lege cum alio paciſcitur, diligenter intuendum eſſe præclarè admonet Bartolus, utrum id oneris, aut lex quæ alteri ex contrahentibus imponitur, vim habeat conditionis: hæc quippe ſi impleta non fuerit, nulla ex contractu aut tranſactione naſcitur obligatio. Tum verò cenſetur conditio, cùm iis concipitur verbis, quæ declarant eam eſſe contrahentium mentem, ut ex utra-

que

que parte ſuum pariter & ſimul conventio ſortiatur effectum. Ut ſi quis quid facturum ſe promittit certâ pecuniæ ſummâ numeratâ: nam ut ſcitè admonet idem Doctor, cum ea lex ad futurum utique tempus referatur, nec præſentem habeat effectum, perſpicuum eſt, quòd pecuniæ ſolutio, quæ alicujus rei faciendæ neceſſitatem inducit, ſit pura puta conditio, quâ detractâ ſimul & diſſolvitur obligatio [a]. Neque aberrat ab ea ſententia Molinæus, qui hac ſpecie conſtitutâ rem totam dilucidiùs explicat. Ratam ſe venditionem habiturum quis eâ lege promittit, ut in diem certum ſibi tantum pecuniæ numeretur. Cenſet itaque Molinæus eam clauſulam vim habere conditionis, quæ cum præſtituto tempore ſecuta non fuerit, ratihabitionem penitus extingui neceſſe eſt. Negat is quoque hoc clauſulæ adjectum oportuiſſe, quòd pecuniâ non perſolutâ, ipſa conventio non valeret: cum id ſit omni conditioni commune, ut non impleta pactum omne diſſolvat [b].

a *In L. Tu eam parte. D. de acquir. hæred.*

b Non ſunt de forma, imò etiam non requiruntur hæc verba, res ſit invendita, vel pro infecta, vel alia verba primariò, & formaliter directa, & reſolutiva: ſed ſufficiunt quæcumque verba importantia executionem facti & præſupponentia reſolutionem ipſo jure.

XII.

Jam quid ſibi volunt ea verba (*effectivæ ſeu realis ſolutionis interventu*?) fruſtrane clauſulæ inſerta ſunt? An potiùs hinc palam fit non aliâ lege Sereniſſimam Infantem ſua jura repudiaturam

 fuiſſe,

fuiſſe, quàm ſi dos promiſſa conſtituto tempore ſolveretur; hocque unum eſſe renuntiationis fundamentum, quo ſublato unà conventio omnis ſubvertitur. Neque enim ea verba ex ſolenni tantùm & uſitata formula, ſed ex placito conſenſu, & enixâ, ut ita loquar, contrahentium voluntate fluxerunt. Quò videlicet nullum eſſe cunctationi locum, & præſcriptis temporibus pecuniam ſolvi oportere, ſecùs irritam fore renuntiationis clauſulam, omnes planè intelligerent.

XIII. Sed quid tot rationibus rem minimè dubiam confirmamus? Cur eam renuntiationis clauſulam omnino eſſe conditionalem, & præſcriptum tempus fatale eſſe, cùm ex ipſius conventionis formulâ, tum argumentis, & legum authoritate tam operosè demonſtramus? cum res omnis uno verbo expediri queat: Rex Catholicus deceſſit, & dos ipſa non fuit perſoluta. In magnis profectò Hiſpaniæ Conſilium verſatur anguſtiis, quando alterutrum fateri cogitur; aut nullam eſſe renuntiationem, aut eam valere, etiam omni dote deſtitutam. Quid enim? An Regina dotata fuit ſimplici pollicitatione, quæ ad exitum non eſt deducta? An fortè Decretalis ipſa Bonifacii dotem quâ verbis, quâ ſcriptis dumtaxat promiſſam, non datam intelligit, cum ſtatuit filiam quæ renuntiat ſuâ dote contentam eſſe oportere?

tere?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

tere? Profectò aliud longè eſt dare dotem, aliud promittere; præſertim ſi promiſſa non appareant, neque ullus ea conſequatur effectus; hæcque tam inter ſe diſtant, quàm quæ maximè. Nam dos promiſſa, non data, ut patri nihil detrahit, ſic filiæ nihil omnino largitur; nec enim quicquam ei juris accedit, quod non haberet ex naſcendi conditione. Jam utique dos ipſa debebatur: ergo nihil novi ex ſola promiſſione filiæ acquiritur: niſi ſi quis velit ſpem ipſam, quæ adhuc incerta eſt, atque ex varietate fortunæ pendet, dotem appellare. Quis enim ignorat promiſſam dotem omnino eſſe eventûs ancipitis, atque unà cum paternis bonis ſimul periclitari? Quare id perſpicuum ſit, quod leges, quod civilis ſcientiæ Principes declarant, *quòd dotem numeratio, non ſcriptura dotalis inſtrumenti facit; quodque in fructibus à viro retinendis, neque dies dotis conſtitutæ, neque nuptiarum obſervatur, ſed quo primùm dotale prædium conſtitutum eſt, id eſt traditâ poſſeſſione*[a]. Hinc breviter, & perſpicuè docet Cujacius dotem ſolâ traditione conſtitui, non promiſſione[b]. Ac præter cæteros concinnè Bartolus duo ſtatuit contractuum genera; unum eorum qui ſolo conſenſu perficiuntur, qualis eſt venditio; alterum eorum qui non ſunt in ſuo genere perfecti, niſi cum executioni mandantur;

L. 1. D. de dote cauta, non nuna.

a *L. Dotale. §. dotale. D. in fundo dotali.*

b Non eſt igitur dos, ſi eam promiſero, vel pollicitus fuero: ſed ſi tradidero. Dos ſolâ traditione conſtituitur, non promiſſione. *In leg. ult. C. de rei ux. act. §. accedit.*

dantur; atque in eum numerum & depoſitum, & mutuum, & dotem ipſam adſcribit: abſurdum quippe foret mutui, depoſiti, aut dotis contractum ſolâ effici promiſſione, non rei ipſius interventu [a], Cur non eodem quo leges utamur exemplo? duo homines initâ ſocietate inter ſe convenerant, ut dotem ex ipſius ſocietatis bonis utriuſque filiæ acciperent: cumque alter dotem filiæ pollicitus ante diem ſuum obiiſſet, quàm ea ſolveretur; quæſitum eſt an filia dotem integram, & præcipuo quodam jure poſſet à ſocietate repetere. Id verò negat Papinianus [b], quòd res promiſſa, non data, dotis nomine non cenſeatur. Idem alibi declarat dotem tum effici, cum numeratur, & mulierem tum primùm dotatam eſſe incipere [c]. Ac recentiores quidem Juriſconſulti eadem prorſus inſiſtunt veſtigia. Bartolus in primis agitatâ quæſtione an jus, vel tributum à Principe doti impoſitum, promiſſâ dumtaxat, non ſolutâ dote, conferri oporteat: perſcitè reſpondet, voces eò inſtitutas fuiſſe, quò rerum cognitioni inſervirent, eaſque ad proprium ſemper intellectum eſſe referendas: præſertim cùm leges ſint verbis aptæ, & preſſæ, rerum comprehenſione, ac ſententiarum authoritate graves, nec occultos & reconditos ſenſus habere de-

a Idem in contractu dotis, & ideo traditione ſecutâ perficiebatur contractus. *In L. Iuris gentium.*

b Verum in propoſito largiter intereſſe videbatur, dos numerata eſſet, an verò promiſſa. Nam ſi filia datam dotem poſtea quam patri hæres extitit jure ſuó recepiſſet, non eſſe referendam pecuniam ſocietati quam mulier habitura fuit, etſi alius hæres extitiſſet. quòd ſi accepto à marito liberata eſſet, nequaquam imputari poſſe ſocietati non ſolutam pecuniam. *L. 8. D. Pro ſocio.*

c Hoc enim & mulieris intereſt ut incipiat eſſe dotata. *L. 71. §. 3. D. De cond. & dem.*

beant,

peant, aut ad rationis figmenta trahi: ac demum concludit dotis nomine non pollicitationem re non ſecutâ, ſed dationem ipſam intelligi oportere [a]. Neque hæc eſt unius Bartoli, ſed omnium penè Doctorum ſententia. Hinc Berengarius Fernandes docet pactum renuntiationis non valere, niſi traditâ dote; ita ut ſi data non fuerit, ſed tantùm promiſſa, pactum ipſum ſimul corruat [b]. His accedunt Alexander [c], Socinus [d], Paulus de Caſtro, Baldus, Raphaël, Fulgoſius [e]; ac præter cæteros Gregorius Lopes qui leges Hiſpanicas commentariis illuſtravit, dotem ab ipſa traditione originem ſuam ducere, atque in gratiam dotis legi commiſſoriæ locum eſſe exiſtimat; ita ut ſi conſtitutâ die perſoluta non fuerit, res pignori data nec repeti poſſit, nec vindicari [f]. Cum his omnibus conſentit Baldus, qui ad renuntiationem duo exigit: unum ut ſit filia collocata; alterum, ut dotem jam tum acceperit [g]. Nam id genus pacti hac

a Cum igitur ſtatuta non recipiant interpretationem extenſivam, ſtatutum quod loquitur in dote data, non habet locum in dote promiſſa. *In L. Jubemus. Cod. de ſacroſ. Ec.* Verba cum effectu ſunt accipienda. *L. Si quis alium. §. ult. D. Ne quis eum qui in jus vocatur eximat. Et L. 16. §. ult. D. de verb. ſignif.*

b Quid item ſi dos data non fuerit, quamvis promiſſa eſſet utique pactum corruit; cum dictum caput *Quamvis* rei traditione, dotis ſcilicet, fulciatur.

c Verba ſtatuti loquentis de filia dotata intelliguntur de filia in qua pater exercuit actum dotandi quantum in eo fuit. *L. 2. Conſ. 13.*

d *Conſ. 2 nu 5. vol. 1. & 207. vol. 2.*

e *In l. non ſine. C. Quæ liberis.*
In l. Titio centum. D. de cond. & demonſt.

f Dos incipit à traditione non à promiſſione. *In l. 22. 4. partit. tit. 11. gl. 2.*
Pactum legis commiſſoriæ valet favore dotis in pignore dato, ſi dos non ſolvatur viro. *In l. 42. 5. partit. tit. 5. gl. 4.*

g Et ſic copulativè requiritur quòd fuerit dotata, & dotem recepiſſet. *In l. Non ſine. C. Quæ lib.*

unâ

unâ ratione in mores noſtros inductum fuit, quòd dote numeratâ ſatis filiæ à patre proſpectum videatur; paterna quippe hæreditas ut augeri, ſic minui poteſt. Sed quî convenit ut dote non traditâ, valeat renuntiatio; cum incerta ſit patris hæreditas; cum is poſſit bona ſua decoquere? Peſſimè quidem filiæ conſulitur cui ſpe omni melioris fortunæ per renuntiationem ereptâ, ne dos quidem in tuto collocatur. Penes eam omnia ſunt incommoda, nullo hinc vel ſperato emolumento; augeri damnis, bonis non poteſt: ſi patris res familiaris dilabatur, id fit dotis periculo; ſi illa fuerit uberior, nihil inde ad filiam perveniet. Quæ eſt iſta juſtitiæ forma, quæ dotis prærogativa?

XIV. Hinc nova quædam, atque haud ſcio, an potentiſſima emergit ratio; quod cum Rex Catholicus non perſolutâ dote, fatis conceſſerit, res nondum perfecta in eum rediit locum, unde initium capere non potuiſſet; atque adeo ex receptiſſima juris regula reparari ampliùs nequit, aut convaleſcere. Illud enim ut certum & confeſſum Doctores tradunt, tum rem extingui, & penitus caducam fieri, cum incepta, necdum abſoluta, in eum devenit ſtatum, in quo ſi ab initio fuiſſet, numquam eſſet inchoata [a]. Idque disertè ab Imperatoribus ſtatuitur; cum maritum

[a] *Sup. cap. factum 63. de reg. juris. in ſexto.*

tum uxori quam ducturus eſt dotem largiri poſſe concedunt, ſi modò ante nuptias dotem tradiderit. Nam ſi nihil aliud quàm promiſerit, inutilis eſt futura donatio; cum in id tempus incidat, in quo omnis inter conjuges donatio prohibetur[a].

Decius in L. in ambiguis. §. non eſt novum. D. de reg. jur.

a *L. 1. Cod. de donat. ante nupt.*

Multum intereſt ſi ea quæ donat vir futurus, tradiderit uxori, & poſtea in dotem acceperit, an verò donandi animo dotem auxerit, ut videatur accepiſſe quod non accepit; priore enim caſu donatio non impeditur, & res quæ in ea cauſa ſunt dotis effectæ judicio de dote peti poſſunt. Poſteriore autem caſu nihil actum eſt donatione, & quod in dotem datum non eſt, repeti non poteſt.

Quod ſponſæ eâ lege donatur, ut tunc dominium ejus adipiſcatur, cum nuptiæ fuerint ſecutæ, ſine effectu eſt. *L. 4. eodem.*

XV.

Quod ſi itaque Regis Catholici tum fuiſſet aperta, & ad Reginam Chriſtianiſſimam delata ſucceſſio, cum initum eſt nuptiarum fœdus; palam id profectò eſt, nullum renuntiationi tum locum futurum fuiſſe. Quid igitur eſt cur dubitemus, quin illa repudiatio jure ipſo penitùs corruerit, cum res in eum reciderit ſtatum, quo ante nuptias fuit; nec quicquam inde Regina in dotem receperit? Nemo aliter Juriſconſultus ſenſit, in quo modò eſſet authoritas; nemo qui naturali prudentiâ rem ipſam perpenderit, aliter judicabit. Etenim ſi dos promiſſa, non tradita, nihil eſt quàm dos fictitia, ut multis argumentis confecimus; ſi Regina Chriſtianiſſima non aliâ lege renuntiavit, quam ut dos conſtituto tempore ſolve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ſolveretur; ſi fidem datam Hiſpani ultrò fefellêre, & quod illis factu erat facillimum, non exſolverunt, nullus eſt ambigendi locus, quin Reginæ Chriſtianiſſimæ pateat reditus ad ſucceſſiones, quæ ex Regis Catholici morte ad eam pervenerunt. Nec quicquam illi obſiſtit renuntiatio, quæ ex neceſſaria, quæque nullum habuit exitum, conditione pendebat. Nemo profectò eſt qui huic reſtitutioni in integrum non faveat, ut nemo illam excluſionem, vel renuntiationem tamquam humanitati alienam non improbat.

XVI. Id adeo manifeſtius erit, ſi duo quæ huic cauſæ ſunt maximè propria, perpendamus. Primùm enim non ſola Hiſpanis imputatur mora, quòd conſtitutâ die promiſſam dotem non exſolverint: ſed quòd ceſſatum ab iis omnino fuerit; quòd nulla ex parte conditioni ſatisfecerint: ac demum meritò cum iis expoſtulamus quòd ex tanto temporis intervallo fidem ſuam non liberaverint, nec quicquam dotis fuerit ab iis perſolutum. Illud quoque omittendum non eſt, adjectam in hoc renuntiationis pacto conditionem ex earum genere eſſe, quas poteſtativas appellant; quòd in eórum qui paciſcuntur. ſint poteſtate, non in caſu ſitæ; cujus generis ſunt eæ conditiones, quæ fortuitæ & caſuales dicuntur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

tur, quæque fortunâ & temporibus gubernantur. Quamobrem nihil cauſæ afferre poſſunt Hiſpani, cur eam legem vel conditionem non impleverint, cum idipſum ab eorum voluntate profectum fuerit; neque adeo ullus ſit veniæ, aut excuſationi locus, præſertim ubi de dote agitur, quâ nulla eſt juſtior cauſa; cumque renuntiatio inter pactiones ſit maximè odioſa & iniqua; ſi quid in ea peccatum fuerit, id continuò leges vindicant, ac liberis naturæ, & ſanguinis jura reſtituunt, quæ illis parentum ſæpe vel ambitio, vel injuſtitia, vel abalienatio quædam detraxerat.

His ita conſtitutis, quid eſt cur dubitandum ſit, quin pactum renuntiationis eâ defectum conditione ex qua ſuſpenſum erat, funditus evertatur? Neque id diſſimulare potuit Rex Catholicus, qui in ſuo teſtamento quantum in hac conditione momenti poſitum eſſe exiſtimaret, apertiſſimè declaravit: tametſi is moram ſubinde excuſare videatur, quòd ratihabitionis à Regina Chriſtianiſſima factæ, & in actis publicis Senatus Pariſienſis perſcriptæ, inſtrumentum ad ſe perlatum non fuerit. In quo quidem Conſilium Hiſpanicum, quod eam Regi Catholico ſubjecit exceptionem, magno errore lapſum videtur. Primùm enim pars dotis tertia ſtatim ab inito matrimonio, & quæ reli- XVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

qui ſumma eſſet intra ſeſquiannum ex dotali inſtrumento fuit perſolvenda. Neque adeo futura illa in publicas tabulas relatio dotis ſolutioni moram potuit objicere. Præterea ex eodem fœdere ratihabitio ut facta habetur, ſi in publicis actis Senatus Pariſienſis non fuerit perſcripta. Quin etiam inſtrumenta quibus dotis ſecuritati caveretur, mitti in Hiſpaniam antè non oportuit, quàm pecuniæ diviſis temporibus eſſet facta ſolutio. Poſtremò quod caput eſt, dos ipſa matrimonii jure acquiritur, non ex illa inſinuatione, quæ idcirco inducta fuit, ut rerum geſtarum memoria publicis monumentis exciperetur: nec quicquam ad numerationem dotis pertinet illa in publicas tabulas relatio. Hinc Rex Catholicus ſibi conſcius quàm illa eſſet infirma & levis excuſatio, teſtamento cavit ut dos promiſſa quamprimum ſolveretur; atque adeo ejuſmodi inſinuationem, aut perſcriptionem in actis publicis neceſſariam non eſſe judicavit.

XVIII. Nec video quid illa efficiat cavillatio, niſi quòd Reginæ Chriſtianiſſimæ cauſam, atque in integrum reſtitutionem maximè adjuvat. Hinc enim liquet quàm iniqui in eam Hiſpani fuerint, quàm parum ex fide egerint. Sereniſſimam Infantem omnibus bonis ſpoliarunt; tum inventa eſt cauſa cur fidem jurejurando datam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

datam fallerent ; quamque ii fecerunt injuriam , ultrò expoſtulant ; ac fraudi ſuæ ſpeciem juris imponunt , quòd neſcio quæ formula , quæque nihil ad promiſſam dotem pertinet , non fuerit obſervata. Quæ eſt iſta calliditas , aut potiùs quæ eſt illa fœdiſſima negotiatio, quam exercet Hiſpania ? Principis ſuæ bona proſcribit , venalia exponit ; tum Seren. Infans res ſuas licitari , & partem alterius multò maximæ pretio emere compellitur. Quis unquam vidit pactionem iniquiùs comparatam ? Maximâ rerum ſuarum parte fraudatur , ac de ſorte quæ promiſſa eſt , etiam in dubium venit. Jam illud non æquum fuit , patrem cum filia de maternis bonis tam exiguâ mercede paciſci : ſed ne id ſit injurium ; quam illud habet æquitatem , ut eam Regi Chriſtianiſſimo indotatam collocet ? Cur illam omni Principatu , omni jure in paterna , & avita regna exuit , quò ſit alienæ , ut ita dicam , coronæ particeps ? Age , non injuſta erit illa renuntiatio , quæ naturæ , quæ legum jura pervertit ? Non erit omni exhæredatione deterior ? Quando Rex Hiſpaniarum nihil de ſuis bonis in filiam confert , nihil largitur ; ab omni hæreditate ſua , & futurâ ſucceſſione illam excludit, ſpe omni dejicit, ac ne materna quidem bona ei reſtituit ; ſed omnes omnino ſucceſſiones, etiam delatas eripit, & periniquâ conventione comprehendit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

I. Tertia ratio affertur quòd quæſitæ ſucceſſioni renuntiari non poſſit.

ATque hinc tertia ducitur ratio, quâ renuntiationis pactum, ut injuſtum planè, & rationi penitus alienum refellitur. Id enim inter omnes facilè convenit, futuræ tantùm ſucceſſioni poſſe renuntiari, quæſitæ non item. Nam ubi ex alicujus morte ad alium tranſmiſſa eſt hæreditas, tum, ſi accuratè & ad legem veritatis loqui volumus, non ampliùs eſt ea ſucceſſio, ſed jam inter bona ipſius hæredis propria numeratur; neque adeo poteſt alienari, niſi aut venditione, aut permutatione, aut ipſâ demum donatione. Ac Bonifacii quidem Conſtitutio non de acquiſita, ſed de futura dumtaxat hæreditate intelligitur, cum paternæ ſucceſſioni filiam renuntiare poſſe decernit, dummodò ſit ſuâ dote contenta. Idque ſatis dilucidè ſuperiùs oſtenſum à nobis eſt, non aliud cauſæ fuiſſe, cur hæc Decretalis juri civili contraria, uſu quodammodo recepta fuerit, quàm quòd filiæ dos in tuto eâ ratione collocetur. Sed cum jam delata eſt hæreditas, tum fortunæ injuriis non patet. Itaque alienari à filia non poteſt, niſi ea ſit ætate major, ac re ipſâ diligenter inſpectâ & cognitâ. Quamobrem hæc jura jam quæſita Conſtitutione Bonifacii VIII. nullo modo continentur, ut præter cæteros præclarè animadvertit Molinæus. Is enim delatas ſucceſſiones à futuris eo maximè diſtin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

diſtinguit, quòd in illis nullus ſit renuntiationi locus. Cum autem futura eſt hæreditas, tum renuntiationem valere aſſerit, iis conditionibus quas Decretalis præſcripſit, temperatam [a]. Idem alibi negat pacto renuntiationis quam pater exegit à filia, ſtari oportere, ſi is ante initas filiæ nuptias deceſſerit. Cum enim jam hæreditas ad filiam venerit, eo loco res eſt, quo cœpta eſſe non potuit [b]. Idque adeo verum eſt, ut ſi quis vel ætate major, jura cùm quæſita, tum futura ſimul, nec ſeparato pretio repudiet, nequaquam valeat iſta conventio. Juri enim acquiſito renuntiare nemo poteſt, futuro nihil vetat; atque ita quicquid eſt in hac conventione, in quo offenditur, etiam id quod conſuetudo, quod mores permittunt, penitus obruit; & pars una conventionis prohibita, alteram quæ licita eſt, velut veneno quodam inficit. Hinc adeo "
pactum ipſum totum corruit. Perinde "
enim res ſe habet ac ſi duos quis ſervos "
emerit pariter uno pretio, quorum alter "
ante venditionem mortuus ſit; tumque "
nec in vivo emptionem conſtare leges "
ipſæ decernunt [c]. "

a Quando agitur de renuntiatione ſucceſſioni, ſedulò diſtingui debent futura, & jam delata: valet enim renuntiatio ſucceſſioni futuræ, ſecus in jam delata.

b Ut mors parentis poſt tractatum ante celebratas nuptias faciat deficere excluſionem.

c *D. de empt. & vendit.*

II.

Ne illud quidem indignum eſt quod moneamus, ex iis quæ ad Reginam Chriſtianiſſimam pervenerant bonis, partem multò maximam non ſolùm hæreditario jure, ſed etiam beneficio legis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ad illam eſſe delatam. Cautum quippe eſt legibus, ut patres, qui ſecundas ineunt nuptias, quicquid ex prioribus nuptiis ſibi lucro ceſſit, ſucceſſiones adeo omnes quæ hoc nomine ad ipſos redierunt, liberis qui ex ſuperiore connubio nati ſunt, omnino reſtituant [a]. Atque in hoc numero ea ſunt habenda, quæ ad Regem Catholicum ex filii ſui Balthaſaris morte redierunt bona, ex quibus nec potuit quicquam decerpere, nec ullo modo retinere. Quòd enim legis beneficio liberis conceſſum eſt, ſic ad eos pertinet, ut à parentum arbitrio nullâ ratione dependeat: uti Covarruvias [b], Oldradus [c], Benedicti [d], Decius [e], Molinæus [f], & alii civilis juris conſultiſſimi apertiſſimè declarant. Atque in hanc perſuaſionem hac ratione ducuntur, quòd ea bona ſecundarum nuptiarum lege, quaſi fiduciario quodam, aut fideicommiſſi jure, ab Imperatoribus in gratiam prioris matrimonii inducto ad liberos permânent. Neque enim e causâ hæreditatis, ſed legum authoritate hæc liberis acquiruntur jura. Ind

a *L. Fœmina. C. de ſecund. nupt.*

b Licet filia renuntiaverit bonis paternis, etiam juramento præſtito, poterit tamen admitti, & admittetur ad iſta bona quæ pater in pœnam ſecundi matrimonii amittit; quia aliud dicendum eſt quoties filia bona paterna petierit jure pœnæ & reſerva tionis legalis ſtatutæ in favorem filiorum: tunc etenim huic fili non oberit renuntiatio hæreditati paternæ etiam jurata. *In ca Quamvis. §. 3. num. 1. & ſeq.*

c *Conſil.* 294.

d *In cap. Raynutius. in verbo duas habens filias. num.* 228.

e *Conſil.* 228.

f Filia excluſa à ſucceſſione patris, renuntiatione, aut per ſt tutum, non excluditur à jure quod acquiritur in pœnam tran cuntis ad ſecunda vota. *In L. hac Edictal. C. de ſecund. nupt.*

C

Indicio fuerit quòd ea liberis ſerventur integra, etiamſi paternâ illi hæreditate excludantur; neque illa cum aliis liberis dividere, aut in medium conferre teneantur; nec denique in rationem Trebellianam, ſeu in quadrantis deductionem veniant, ut Corraſius præter cæteros diſertiſſimè teſtatur[a]. Hinc licet jure civili utervis parentum alteri ſuperſtes, quæ ſibi ab eo qui prior deceſſerat, ob nuptias, vel quocumque alio nomine donata fuerant, uni quem mallet ex ſuis liberis, benignè conferre poſſet, lex tamen imperatoria primùm quidquid eo nomine poſſidet qui ſecundum iniit matrimonium, id omne in odium poſterioris connubii, illi detrahit; tum ne id quidem ejus permittit arbitrio, ut cui voluerit liberûm ſuorum gratificetur: ſed quæ ſibi ex priori connubio etiam ex donationis cauſa obvenerunt bona, liberis ſuis ex æquo reddere compellitur[b]. Cum itaque ne illarum quidem rerum adminiſtratio, vel diſpenſatio penes patrem remaneat; quâ ratione poterit eadem bona contra receptiſſimas leges, interpoſito renunciationis pacto, in rem ſuam convertere? Id enim ſi accipimus, non erit factu difficile pœnas ſecundis nuptiis à legibus impoſitas effugere: cum tamen hujus generis pœnæ ab iis quæ arbitrariæ dicuntur, vel eò maximè di-

a Lucrum quod facit filius propter tranſitum ad ſecunda vota parentis, in Trebellianicæ rationem non venit; cum id filius non habeat ex teſtamento, ſed ex legis providentia, & diſpoſitione. *Ad L. Filium. C. Fam. erciſ.*

b *Nov. 2. Juſtin. de non elig. ſecund. nupt. mul.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ſtent, quòd hæ ſoleant impunè perrum-
pi, illæ ſuum ſemper conſequantur effe-
ctum, nec eludi ullo modo poſſint.

I. Quartò hinc renuntiatio refellitur, quòd Regina Chriſt. fuerit ætate minor & in Regis Catholici tutela.

SEd plenius hoc idem atque apertiùs
ex rerum perſonarumque complexu,
in quo maximè conſiſtit cauſa, intuen-
dum. Quæ enim paciſcuntur perſonæ;
quo tempore, quo in ſtatu, quo loco
tunc erat Regina Chriſtianiſſima, cum
jura ſua repudiavit? Hinc videre li-
cet Regem Catholicum, qui idem &
tutor & pater eſt, qui ſi rogat, idem &
poteſt cogere; tum publicum Hiſpania
Conſilium, quod id maximè parat
meditatur, cogitat, ut jura Sereniſſima
Infantis, quam ut Galliarum Regi
nam, non ut Hiſpaniæ Principem ſpe
ctat, funditùs labefactet. Contrà, il
linc cernere èſt Regis Hiſpaniarum fi
liam, minorem annis, quæque in po
teſtate patris, in Regia domo educata
jura ſua per ætatem intelligere non po
teſt; rerum nondum ſatis perita, ne
quiſquam eſt ad quem ſua conſilia re
ferat; cui omnia benigniſſimè promit
tuntur, & quo nihil majus ſperari poſ
ſit, Regis Galliarum ſponſa deſtinatur
Jam quærimus an illa Regi, tutori
Patri; an Regni Caſtellani Conſilio
cujus impulſu hæc geruntur omnia
poſſit repugnare? An ullam queat v
liberam vocem mittere? An Regi ſuo, &
Pat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Patri audeat obſiſtere? Spe ſimul & metu agitatur animus; pectore nihil conſilii poteſt conſiſtere; jura ſua repudiare necdum ſatis ſibi perſpecta cogitur. An conſenſum ex neceſſitate, & voluntatem ex vi interpretabimur? An patris animum offendet, an illi morem non geret? Profectò ætas, ſexus, conditio, tempus, locus, educatio, Patris pudor, Regis majeſtas, etiamſi jura ſua haberet explorata & cognita, quominus recuſaret, omnino prohiberent.

Verùm utcumque res ſe habuerit; non potuit ſanè filia ætate minor, jure ſuo cedere, Regias ſucceſſiones, & Principatus abdicare, idque in gratiam Patris, qui & tutor erat, & ipſi novercam ſuperinduxerat. An eſt quiſquam qui hoc ignoret minores viginti quinque annis non habere liberam rerum ſuarum adminiſtrationem? Cum inter omnes con- " ſtet fragile (ut loquuntur leges) & in- " firmum eſſe hujuſmodi ætatum conſi- " lium, & multis captionibus ſuppoſitum, " multorum inſidiis expoſitum [a]. Leges igitur quæ feruntur ex optimis naturæ principiis, non ſatis æquum judicarunt uſum, & adminiſtrationem patrimonii, quod ſæpe multo fuit labore partum, eorum arbitrio permittere, quibus per ætatem eſt maxima conſilii imbecillitas. Etſi enim non deſunt, qui quadam bonitate, & felicitate naturæ, II.

[a] *L. 1. D. de Min.*

judicii maturitatem ante illud tempus à legibus præſtitutum, conſequuntur & quorum prudentia prævenit ætatem iiſdem tamen legibus omnes æquè continentur, unâ ſemper illæ, & eâdem voce omnibus loquuntur: cum id non ſi perſonarum, ſed ætatis privilegium[a] Quocirca ætate minor, nec venderε quicquam, nec alienare poteſt, nedum aut legata, aut delatas hæreditates repudiare: quandoquidem ejuſmodi renuntiatio quò latiùs patet, & infinita quodam modo jura complectitur, hòc magis legibus improbatur[b]. Quod ſi ita eſt, qu valere poſſit renuntiatio, quam à Reginâ Chriſtianiſſimâ, cum nondum eſſe ætate major, expreſſerunt, ne conjecturâ quidem aſſequi poſſumus.

a Ideo hodie in hanc uſque ætatem adoleſcentes curatorum auxilio reguntur, nec antè rei ſuæ adminiſtratio eis committi debebit, quamvis benè rem ſuam gerentibus. *Dict. L. 1. de Min.*

b Fundum autem legatum repudiare pupillus ſine Prætoris authoritate non poteſt: eſt enim & hanc alienationem, cum res ſit pupilli nemo dubitat. *L.* 5 *D. de reb. eorum qui ſub tut. &c.*

III. Demus id quidem, quòd non eaden ſit Principum, quæ aliorum hominum ratio: illorum quippe indoles cùm ere ctior eſt, tum ad frugem celeriùs perve nit; ac judicii perſæpe maturitas ultra ætatem videtur. Cum enim ex ſplendido & nobili formentur ſanguine, mentem acriorem & Diviniorem nacti, velut i puriori aëre collocati videntur: Nequ id illis quod reliquis hominibus evenit quorum hebetiora & tardiora ſunt in

genia

genia, propter cœli pleniorem naturam. Id quidem non ægrè concedimus. At ſi volumus quæſtionem omnem ad us ipſum, & veritatem exigere, id profectò liquebit, Regum & Principum filias minores ætate, nec municipali Hiſpaniarum, nec cujuſvis Nationis jure excipi, ſed eâdem cum cæteris lege contineri. Nullum in hanc rem illuſtrius afferri poteſt exemplum, quàm id quod ab Anna Armoricæ Duce factum legimus. Ea quippe cum ætate minor Ducatum ſuum Carolo VIII. Franciæ Regi ceſſiſſet, irritam fecit donationem ætatis prærogativa; tametſi ætate major eodem Ducatu Ludovicum XII. cui nupſerat, poſtea donaverit; quâ quidem ratione ad Franciæ Regnum facta eſt Britannici Ducatus acceſſio. Et certè quò Principum filiæ cæteris natalium fulgore magis eminent, atque earum jura ſunt majora & ſplendidiora, hoc magis legibus caveri debet, ne quid illæ detrimenti patiantur. Quamobrem nullus hîc fuerit exceptioni locus, neque à jure communi recedendum, quod infirmitati cùm ſexûs, tum ætatis proſpexit; & prudenter cavit ne iis, quæ nec ſe, nec ſua tueri poſſunt, inconſultâ temeritate patrimonia profundere liceat, aut diſtrahere.

IV. Maneat igitur illud, & fixum ſit, mi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

nores ætate liberam non habere ſuarum rerum adminiſtrationem, nec quicquam alienare poſſe. Quod quidem tum maximè obtinet, cum agitur de conſtitutione dotis, cui leges præcipuè favent. Jure enim „ civili ſancitum eſt, quòd ſi in dote dan- „ da circumventus ſit alteruter, etiam ma- „ jori annis viginti quinque, ſuccurrendum eſt [a]. Evenire utique interdum poſſet ut puella ſtudio nuptiarum, minùs rei & famæ ſuæ temperans, ab avaro tutore conſenſum magno pretio redimeret; atque hic peſſimè in pupillam conſulens minùs honeſtas nuptias ſuâ authoritate confirmaret. Ne igitur eâ ratione pupillæ in fraudem incurrerent, neve earum bona improbis tutoribus prædæ forent, caverunt leges, ne iis liceret ullum transferre dominium. Hæc itaque illorum qui leges condiderunt, fuit ſententia, ut minores ætate decipi, aut circumſcribi numquam paterentur. Hinc pulcrè Mode- „ ſtinus filiam viginti quinque annis mi- „ norem, quæ quartam maternæ hæredi- „ tatis partem ſibi cum fratribus commu- „ nem mutaverat, & acceperat pro ea „ parte fundum, quaſi emptione inter ſe „ factâ, huncque fundum cum aliis rebus doti dederat [b], ſi læſa ea fuiſſet, reſtitui in integrum poſſe reſpondit. Ex iiſdem fontibus manârunt aliæ leges, quæ tutori certam dumtaxat ex pupillæ bonis partem in dotem dare permittunt:

ſi quid

a *L.6.§.5. D.de jur. dot.*

b *L.62. eod.*

ſi quid ampliùs promiſerit, id ejus ſit periculo, ac reddere ipſo jure compellitur[a]. Neque à civili jure aberrant Hiſpaniæ leges, quibus tutores bona pupillarum vendere, & in pecuniam convertere prohibentur. Quin & eædem vetant leges, ne tutor in rebus immobilibus dotem, ſi ſit mobilium copia, collocet[b]. Atque ut ſemel finiam, fraus omnis ac dolus ſic ab omni dotis conventione abeſſe debet, ut jus civile, quemadmodum diximus, filiæ etiam majori viginti quinque annis ſuccurrat, quocumque ea modo fuerit circumventa; ſeu fraude fuerit illecta, ſeu ſexûs infirmitate decepta[c]. Nuſquam enim alibi bonam fidem dominari magis oportet, quàm in hoc contractuum genere, ex quo hominum ſtatus, fortunæ, & agnationes familiarum ducuntur. Quorſum iſta? niſi ut omnes planè intelligant, quàm iniqua, quàm prava ſit illa renuntiatio, de qua nunc omne noſtrum certamen eſt. Quid enim? Leges cùm pupillis, tum etiam ætate majoribus quæ dolo circumſcriptæ fuêre in dotis collocatione, ſubveniunt. Sed quænam illa fuit injuria, ſi cum hoc renuntiationis pacto comparetur? Major utique quàm pro facultatum modo collata dos fuit; melior fortaſſis quàm æquum eſſet, facta eſt mariti conditio. Negant leges „ bono & æquo convenire ut lucretur „ *L. 6. de jure dot.*

a *L. 6. & ferè toto tit. D. eodem.*

b *L. 14. tit. 11. de las dotes partida 4.*

c *Dict. l. 6. D. eodem.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

„ aliquis cum damno alterius, aut dam-
„ num ſentiat per alterius lucrum: ſit ita ſanè. Sed illa dos, quæcumque eſſet, ſubeundis matrimonii oneribus fuit deſtinata: nec demum ſic ab uxore exiit, ut mortuo marito, ad eam non reverteretur. At quantum detrimenti ex illa renuntiatione Chriſtianiſſima Regina patitur? Nihil vel dotis nomine, vel ex quacumque alia cauſa illi relinquitur, bonis omnibus ejicitur, & quod indigniſſimum eſt, id fit non authore modò patre, & tutore, ſed eodem in rem ſuam, & liberorum quos ex ſecundis nuptiis procreavit, compendium ſtipulante. Quis ignorat tutelam ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa eſt, inſtitutam fuiſſe; ac præcipuum tutoris munus in eo eſſe poſitum, ut bona quæ ſuæ fidei credita ſunt adminiſtret, non ut rapiat ad ſe pupillorum commoda, aut eorum ſpoliis ſuas facultates, copias, opes augeat? Nam,
„ ut leges ipſæ declarant, tutor tunc do-
„ mini loco habetur, cum tutelam admi-
„ niſtrat, non cum pupillum ſpoliat [a].
Ac demum fruſtra tot leges frangendæ tutorum cupiditati latæ fuerunt, fruſtra tot cautiones adhibitæ, ſi liceat iis impunè in bona pupillorum irruere, eaque in ſe transferre. Huc ſpectant leges, hoc volunt ut eos defendant, qui propter ætatis imbecillitatem ſe tueri non

a *L. 7. D. Pro empt.*

non poſſunt. Neque aliud eſt munus in civili ſocietate magis neceſſarium, quodque ex ipſis legibus magis incorruptâ fide exerceri oporteat. Hujus muneris caput eſt, ut avaritiæ & fraudis pellatur vel minima ſuſpicio; ut tutores intelligant ſibi hanc poteſtatem à jure datam & permiſſam fuiſſe, quò omnes ab iis, qui ſuæ curæ commiſſi ſunt, repellant, non ut adjuvent injurias; ut pupillorum conſervent bona, non diſtrahant [a].

a *Dict. l. 7. D. Pro empt.*

V.

Quid enim aliud cauſæ eſſe putas, cur malitiam & fraudes tutorum tot leges, & ſeveræ & graves vindicent? Cur rei adminiſtratæ periculum penes tutorem manet, neque à pupillo quacumque de cauſa liberari poteſt hoc onere, dum rei geſtæ rationes, & tabulas quibus bona pupilli declarantur, is reddiderit [b]? Hinc tutori rem pupilli emere, vel ad ſe vertere per leges non licet [c]. Quòd ſi Juſtinianus Imperator omnes contractus, in quibus pater à liberis, quod iis noceat, ſtipulatur, omnino reſcindit [d]: multò minus licet tutoribus cum pupillis in rem ſuam paciſci. Nulla penè Gens eſt, aut Natio, quæ non aliquas leges coërcendæ tutorum avaritiæ condiderit. Nota eſt illa & pervagata apud Gallos conſtitutio, quâ minorum donationes omnes, aut contractus in gratiam

b *L. 20. §. 1. D. de lib. legat.*

c *L. 3. C. De Tranſact.*

d *No. 155.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

tutorum, vel curatorum facti diſſolvuntur [a]. Municipalis juris Hiſpaniarum collectio quinque hac de re leges complectitur [b], quarum una jam à Wiſigothorum uſque temporibus ſancita eſt [c]. Id ipſum in Belgio à Carolo V. fuit olim conſtitutum, & religiosè etiamnum obſervatur. Finis non erit, ſi omnium populorum deſcripta jura, quæ in hac re omnino inter ſe conſentiunt, referamus. Sed illa omitti non poteſt prudentiſſima, atque ab Hiſpanis obſervata conſtitutio, quâ tempus tutelæ prorogatur, dum ſuæ adminiſtrationis rationes tutor reddiderit, ne locus negligentiæ, aut fraudi tutoris eſſe poſſit.

a *Edict. anni* 1539.

b *L.* 102. *tit.* 18. *partida* 3. *Et l.* 30. *tit.* 11. *partida* 5.

c Sive in minori ætate, ſive etiam quamvis decimum quartum ætatis annum pupilli videantur tranſire, tamen ſi tutores adhuc vel ipſos, vel eorum res in ſuâ poteſtate noſcuntur habere, quamcumque ſcripturam ſecuritatis, aut alicujus obligationis, aut tranſactionis ipſis tutoribus, vel cuicumque perſonæ factione tutorum feciſſe reperiantur, omnia invalida, & exinanita penitùs reputentur, & pupillo de cunctis rebus redditâ ratione, ab eo quem tutius eſt ſecuritatis ſcripturam procuret accipere. *Lib.* 4. *tit.* 3. *art.* 4.

VI. Quæ cum ita ſint, vel Hiſpani ipſi judicent, potueritne Rex Catholicus, qui & Pater, & tutor erat, cum Filia adhuc minore paciſci, & contrahere; aut ex illius incommodis ſua, & liberorum quos ex ſecundis nuptiis progenuit, commoda comparare, & in rem ſuam author fieri? An denique Regina Chriſtianiſſima potuerit ſua alienare bona, & futuris ſucceſſionibus renuntiare;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

tiare ; cum id jus civile , leges Hiſpanicæ , & omnium populorum jura prohibeant ?

SEd fac Reginam Chriſtianiſſimam nec ætate minorem fuiſſe, nec ſub Regis Catholici tutela. Quâ tandem ratione potuit jura , quæ minùs ſibi nota erant, repudiare ? Et ſanè quamdam juſtitiæ formam vel imaginem adhiberi ſaltem oportuit, quò pactum illud firmum eſſet & ſtabile. Primùm quæ ad Reginam pertinebant bona , in tabulas erant referenda , tum quid acceptum , quid expenſum fuerat, diligenter excutiendum. Poſtremò inſtrumenta quæque illi exhibere, & reſtituere æquum fuit [a]. Neque enim jura ſua, niſi viſis tabulis, ut „ loquuntur leges , deliberato conſilio, „ & diſpunctis rationibus potuit habere „ perſpecta. Sin illi fuerint incognita, „ nihil penitus actum eſt. Nam ibi nullus eſt conſenſus ubi omnis abeſt cognitio. Jam remoto conſenſu, vel detractâ voluntate, quis obligationi aut contractui locus eſſe poſſit ? Ullamne tu putes actionem vel humanam , vel civilem haberi cognitione deſtitutam ? Hæc niſi præluceat , cæco impetu , & præcipiti fertur voluntas ; nec ſui potens , aut ſui juris , aut libera dici poteſt. Nihil in jure civili eſt uſitatius , nihil magis frequentatum , quàm eorum quæ citra

I. Quintò non potuit Regina jura ſibi incognita repudiare.

[a] *D. tit. de admin. tut.*

cognitionem acta ſunt, diſſolutio: cujus quidem rei multa,& manifeſta ſunt exempla. Si quis antequam teſtamentum videret, de legato, vel hæreditate tranſegerit, nihil penitus actum fuiſſe lex ipſa declarat; quòd ignoratio deceptioni quidem, non legitimæ conventioni præbeat lo-
,, cum[a]. Hinc Caius Juriſconſultus: De
,, his, inquit, controverſiis, quæ ex teſta-
,, mento proficiſcuntur, neque tranſigi,
,, neque exquiri veritas aliter poteſt,quàm
,, inſpectis cognitiſque verbis teſtamenti[b].
Ac longè omnium doctiſſimus Papinianus hujus generis pretia, quibus res ab
,, imperitis emuntur, vocat liberalitatem
,, captioſam, quam, inquit, interpretatio
,, prudentum fregit[c].

a *L. 12. D. de tranſact.*

b *L. 6. D. de tranſact.*

c *L. 5. D. de tranſact.*

II. Quocirca jus civile ejuſmodi conventiones fraudulentas, in quibus inſidioſè, aut inſimulatè, aut fallaciter aliquis emit, aut vendit, ſeverè vindicat; atque eas tollit aſtutias, quibus ex alterius quis prædatur inſcitiâ. Hinc leges Imperatoriæ eum qui hæreditatem ſibi incognitam repudiavit, ne poſſeſſione quidem illius excludi oportere, & jus eam perſequendi ſemper habere decernunt[a]. Quòd ſi itaque leges eos qui in fraudem inducti ſunt, qui decepti, qui quo jure res eſſet exploratum non habuêre, omnino reſtituunt: An cenſes nihil eſſe in iis præſidii, cùm puella nondum ætate major

a Nam ſuo quoque jure eorum perſecutionem habet. *L. 4. C. de hæred. vel act. vend.*

jor decipitur, cum omni hæreditate pellitur? Nemo eſt qui neſciat minùs & conſilio, & rerum uſu valere ſequiorem ſexum; adeò ut Imperatoribus is ſexus ſatis in fraudem videatur illici, cum ſibi uni permittitur, nec meliore conſilio adjuvatur [a]. Hinc præclarè vir magni nominis ita ſexûs & ætatis imbecillitati conſulendum monet, ut nihil omnino puellæ, quæ minor viginti quinque annis fuerit, quacumque ex cauſa liceat alienare: quòd nihil ſeriâ æſtimatione perpendere, nulli tum rei vehementer intenta eſſe poſſit. Tot ſimul ſubeunt cogitationes, quæ animum in diverſa trahunt, ut quæ incurrunt in oculos, vix intueri; quæ aures feriunt, vix percipere; aut iis demum quæ coram fiunt, vix intereſſe videatur. Nihil omnino eſt tam diſtractum, tam multiforme, tam multis cogitationibus concîſum,

[a] *L. penult. C. de ſponſal.*

Fatemur quidem nihil eorum quæ dicta ſunt in ſexum, convenire in lectiſſimam, & ſui ſæculi decus Principem, quæ cæteris non fulgore magis natalium præſtat, quàm excellentis ingenii, & animi magnitudine. Sed ultrò id nobis dabunt vel iniquiores, fieri nullâ ratione potuiſſe, ut ea rebus animo agitatis, & certo judicio ponderatis, ſponte ſuâ, & liberâ voluntate renuntiaverit. An cogitatione, & animo complexa eſt, III.

quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

quantum ſibi detrimenti afferret illa repudiatio? An ſatis perſpexit quæ & quanta eſſent jura quibus cederet, quàm latiſſimè paterent, eaque eſſent ex Provinciarum legibus, uſû & conſuetudine æſtimanda?

III. Neque id clam fuit præcipuis Conſilii Hiſpanici Adminiſtris, Sereniſſimam Infantem ſpoliari ſuis bonis, quæ perſpecta non haberet, aut incognita ſibi jura non potuiſſe repudiare. Hinc rationem de integro ſibi ineundam, & pactum renuntiationis aliâ ſubinde clauſulâ, quâ videlicet jura ſua abdicaret, ſeu ipſi nota eſſent, ſeu incognita, muniendum eſſe judicarunt. Quæ eſt iſta calliditas? Quam cauti ſunt, ubi nihil opus eſt? Ejus rei quæ agitur cognitionem, ſine quâ nulla poteſt eſſe conventio, adjecta neſcio quæ, & omnibus retrò ſæculis inaudita ſupplet formula. Id ſi accipimus, nihil erit tam injuſtum, tam improbum, tam perverſum, quod ductu calami, aut clauſulæ adjectione ſanari non queat. An non huc redit illa clauſula, huic ſubeſt illa vis? Regina Chriſtianiſſima renuntiaverit nec ne; renuntiationem nihilominus valere; legitima ſit conventio an ſecus, hanc tamen fore legitimam? Quid eſt quod magis ſibi ipſi repugnet? Quem fugit nihil eum agere, cui deeſt ipſa cognitio? An aliquis in id conſentire poteſt, quod

quod ſibi eſt penitus incognitum? Quòd ſi is qui in diſcrimen vocatur, propriæ & legitimæ defenſioni renuntiare non poſſit, ut videtur doctiſſimo inter Hiſpanos ſcriptori [a]; an dubitamus quin ea quæ ad naturam contractûs pertinent, ut juſtitia, bona fides, libertas, cognitio, conſenſus denique ab eo nullatenus poſſint ſeparari? cum ex earum rerum complexu omnis contractus perficiatur, quæ ſi deſint, nulla poteſt ſtare conventio. Abſurdum ſanè, & inutile, & reprehendendum, pacto vim & authoritatem tribuere, iis detractis quæ cogitatione magis, quàm re ab eo ſecernuntur. Quid enim magis contra naturam contractûs, quam inſcitia, vis, metus, mala fides, fraus, injuſtitia? Poteſtne ipſa ignoratio ullius conventionis eſſe fundamentum? Quid hoc aliud eſt, quàm res naturâ copulatas, opinionis errore divellere, & quæ ſibi maximè repugnant, conjungere? Cum enim Regina de iis quæ non novit, paciſcitur, id habet hanc, ut opinor, ſententiam, ut pactio ea ſit legitima quæ vacat juſtitiâ; ſit ſincera, nec fraudis expers; libera, & coacta; cum cognitione ſimul, & errore conjuncta.

[a] *Azevedo to. 1. lib. 4. tit. 27. l. 12.*

AN expectamus dum aliam quoque ſubjiciant clauſulam, quâ Sereniſſima Infans, velit nolit, jura ſua repudiet? ac ne illa quidem formula fuit præter- I.

Sexto, ne voluntaria quidem fuit illa renuntiatio.

ter-

termiſſa. Id enim viſum eſt Hiſpanico Conſilio, ut moleſtiſſimâ diligentiæ perverſitate pactum illud firmaret ſimul & ſubverteret. Res igitur ita fuit conſti-
„ tuta, ut ſi non renuntiaret, nec ratum
„ haberet Sereniſſima Infans quod inter
„ Legatos convenerat, ipſa renuntiatio,
„ & ratihabitio vim ſuam nihilominus
„ ſortirentur, atque ut in præſens factæ
„ haberentur. Hæc dotalis inſtrumenti verba protuliſſe ſatis ſuperque fuerit; neque argumenta nobis quærenda ſunt, quibus tam abſurda refellantur. Quid enim cum iis diſſeramus, qui pactum conſenſu deſtitutum valere contendunt? Id ſaltem diſſimulatum ab Hiſpanis oportebat, Principem ſuis bonis vel invitam ſpoliari, neque illud publicis monumentis prodere neceſſe fuit, quod in Reginæ animo, oculis, vultu denique ſatis deſcriptum apparebat. Verùm hanc illis habemus gratiam, quòd non ex occulto, non ex inſidiis, ſed apertè & candidè hac in re egiſſe videantur. Quòd ſi enim Reginæ ſua perfecta fuiſſent jura, ſi mentem, ſi conſilium ſuum explicare licuiſſet, ſi Regis denique, & patris imperio auſa eſſet reſiſtere, nunquam huic conſenſiſſet pacto, quod in familiam ſuam, & ſtirpem, & gentem ita eſt contumelioſum. An tot Principatus hæreditario jure ad ſe delatos repudiaret? An Regni Hiſpanici ſpem omnem abjiceret, & avita imperia ab alie-
nis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

nis tum invadi æquo animo pateretur, cum ipſa, vel liberi ad eam ſucceſſionem ex patriis legibus, & naſcendi ſorte vocarentur? Ergone in Regia perſona omni digna imperio, ſpem Regni penitus extinctam oportuit? Quid, illa omnibus ingenita Principatûs appetitio, illa imperii, gloriæ, potentiæ cupiditas in Regia, & excelſa mente adeone oppreſſa, & demerſa fuit, ut illius vim & aculeum non ſenſerit? An voluntaria potuit eſſe illa renuntiatio, quam metus, quam Regis majeſtas, quam patris reverentia expreſſit? Profectò Parentis puro pectori altè infixa veneratio, aut Regiæ poteſtatis authoritas nullum libertati reliquit locum. Quâ fronte, quo ore & patris juſſa, & Regis imperium potuiſſet contemnere? Quàm facilè metus, formido, terror ipſe cum ſumma obſervantia confunditur; quàm altè in animum penetrat, eumque tùm maximè concutit, cum vix tenui ſe prodit indicio.

Quamobrem id dubium non eſt, quin Regina Chriſtianiſſima premente metu, & vi quadam, non libero voluntatis arbitrio jura ſua, Principatus, ſpes omnes abdicaverit. Idque magis erit perſpicuum ſi injuriæ magnitudinem, atque, ut loquuntur, enormem læſionem certo judicio, & ratione ponderemus. Neque enim, ut ſcitè & doctè explicat II.

Covar-

Covarruvias [a], ulla eſt illuſtrior nota, quâ dijudicare poſſimus, an pactio quæ patrem inter & filiam inita eſt, ex paterna authoritate, aut filiæ libertate fluxerit, quàm ſi hæc magnum perpeſſa fuerit ex illa pactione detrimentum: tum enim liquet vel eam deceptam, vel metu, aut vi coactam fuiſſe: nec omnino valere debet illa conventio. Hinc leges ipſæ Hiſpanicæ quò liberorum pudori, & parentum pietati conſulerent, id genus pactorum inter patres & filias, niſi jam in matrimonio collocatæ authore marito paciſcantur, prudentiſſimè ſuſtulerunt. Neque aliis inter ſe quàm benevolentiæ, æquitatis, & naturæ legibus eos devinciri voluêre. Quidquid, inquiunt, pa-
„trem inter & filiam ex cauſa dotis, aut
„matrimonii convenerit, ſeu vidua, ſeu
„nupta; ſeu major, ſeu minor ætate fue-
„rit, eo pacto minimè ſtandum eſt, ni-
„ſi fortè cum nupta authore marito pa-
„ciſcitur: tum enim pactum non reſcin-
„ditur [b].

a Metus reverentiæ, vel obſequii paterni reſcindit renuntiationem etiam juramento vallatam, quando læſio eſt ultra dimidium; ſive major ſive minor ſit filia, quia dolus præſumitur in ea conditione adhibitus, & oppreſſio quædam ſaltem reverentiæ patris: alioqui non veriſimile eſt quòd tantæ læſioni filia, vel uxor conſenſiſſet. *In cap. Quamvis. §. 4. num. 11.*

b *L.8.tit.11. lib. 1. fori.*

I.

Summa eorum quæ fuſiùs ſunt explicata.

Ex quibus liquet jacêre eam renuntiationem tot rationibus ac teſtimoniis exploſam. Neque jam ullus eſt argutiis aut aſtutiæ locus; nihil circuitione & anfractu opus eſt; non ſpe, metu, patris imperio, & authoritate ducendus eſt Regiæ Principis animus; ſed rationibus & argumentis docendi ſunt homines &

per-

perſuadendi. Quo autem id modo aſſequentur Hiſpani? An jure civili, & imperatoriis legibus pugnabunt? At nihil æquè huic renuntiationi, vel excluſioni repugnat. An fortè ad jus Pontificium, & Bonifacii Decretalem confugient? Fatemur quidem quòd ea Conſtitutio contra jus civile renuntiationum pacta induxerit: ſed eas tamen adhibuit conditiones, quæ hîc omnino deſiderantur. Nam ut valeat renuntiatio, cum fuit dos à patre de bonis ſuis collata; cum futura eſt, non jam acquiſita ſucceſſio; cum vis, metus, fraus omnis procul abeſt; cum grave damnum non patitur quæ renuntiat, neque id alteri nocet. In hac quidem excluſione, vel renuntiatione nihil horum reperitur; ſed contrà ſunt omnia. Quid ergo? An forte ad leges Hiſpanicas provocabunt? At nullam afferre poſſunt legem, quæ id genus conventionum probet; quæque à nobis mox adducta eſt, hujuſmodi renuntiationes omnino condemnat. Accedit id quoque, Hiſpanos civili jure, ut communi uti, idque apud eos obtinere, niſi quid fortè municipali jure aliter ſancitum fuerit. At fors eſt ut perſonarum conditio, aut ſplendor, aut majeſtas huic faveat renuntiationi. Imò, nihil eſt quod iſti conventioni magis adverſetur: cum Pater, tutor, Rex, cum filia, pupilla, & ſubdita paciſca-

ciſcatur; & quod majus eſt, pater qui ex ſecundis nuptiis liberos procreavit; tutor qui in rem ſuam author eſt, & cum pupilla in ſuum commodum tranſigit; Rex qui majeſtatis fulgore, & authoritatis ſuæ pondere vix ullum libertati relinquit locum. Quòd ſi denique hanc volumus controverſiam æquitate ipſâ diſceptatrice judicare, faciunt omnia cum Regina Chriſtianiſſima; jus naturæ, quo filia ſuum patrimonium repetit, ac leges ipſæ, in quibus paratum ſemper eſt pupillis adverſus tutorum injurias præſidium, maximè cum rationes ſuas, res, bona, fortunas repoſcunt.

II. Quid eſt igitur quod Conſilii Hiſpanici Adminiſtros conturbet, aut in quo poſſunt obſiſtere? An quod Rex Catholicus filiam ſuam dotaverit? At nihil omnino ab eo profectum eſt? nihil is de ſuo vel dedit, vel promiſit. Quin potiùs ſic filiam ſuam collocavit, ut materna ei jura eriperet; ut hæreditatem quæ ad eam ex fratris Balthaſaris morte venerat, in ſe ſuoſque liberos converteret. An exceptione pacti, vel initæ renuntiationis utentur? Sed illa conventio ut cœpta fuerit, certè ad ſummam perducta non eſt, neque executioni mandata; nec pecunia promiſſa, fuit adnumerata; nec demum illa dotis pollicitatio Regis Catholici munus fuit, ſed ejus

quæ

quæ Reginæ Eliſabethæ perſoluta fuerat dotis, imperfecta quædam, non ſolida reſtitutio.

Sed neque illud taceri ullo modo, aut ſatis pro dignitate dici poteſt, hanc renuntiationem nulli minùs quàm Regi Catholico probatam fuiſſe. Idque vel ex eo maximè perſpicuum eſt, quòd conditionem, cui pactio illigata erat, non impleverit, nec promiſſam pecuniæ ſummam conſtituto tempore perſolverit. Neque enim is erat qui dotem filiæ, qui partem legitimam conferre, qui materna ei bona reſtituere omnino recuſaret: nec tam ingens erat ea pecuniæ vis quæ intra ſeſquiannum, & tripartitis temporibus à potentiſſimo Rege repræſentari non poſſet. Sed odioſa illi & acerba fuit ſemper iſta conventio, quam ſtare non poſſe conditione defectam, pulcrè intellexit. Quæ quidem illi cauſa fuit, ut nec ratihabitionem, quæ ſtatim poſt initas nuptias à Rege Chriſtianiſſimo, ſimul & à Regina erat ex dotali inſtrumento facienda, poſtulaverit, nec ipſe quam intra triceſimum diem mittere tenebatur rerum actarum confirmationem in Gallias perferendam curaverit. Quò facilè omnes perſpicerent Regem optimum hac mente, hoc animo fuiſſe, ut pactum illud ſibi, & ſtirpi injurioſum longo & pertinaci ſilentio infirmaret. III.

Incre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Incredibilis quidam paterni amoris, & naturæ ſenſus, qui antea in Rege penè obrutus ac demerſus videbatur, vim ſuam tandem exeruit, & ementitæ politicæ rationes perfregit. Paternâ itaque in filiam indulgentiâ commotus maluit pactioni ipſi deeſſe, & promiſſa non facere, quàm ſanguinis jura pervellere: nec aliud magis idoneum huic malo remedium potuit excogitare, quàm ſi pactum executioni non mandaret: illud è pietate ſua, & ſapientia eſſe duxit, ut quæ perperam acta fuerant, & Hiſpanici Conſilii ambitione expreſſa, perpetuo ſilentio damnaret; ac longe illi fuit antiquius fidem quodammodo obſtrictam non liberare, quàm in leges publicas, in naturam, in religionem ipſam offendere.

IV. Nullus igitur reſtat controverſiæ locus; nec quicquam occurrit, de quo ambigi poſſit: niſi fortè an liceat impunè violare Principes, quos Dei muneribus præ cæteris inſtructos & ornatos cernimus; an illa Principibus magis quàm privatis Divina obeſſe debeat indulgentia. Hoc certè volunt leges, ut ſit incolumis civium conjunctio; quid eſt cur Reges & Principes eâdem juris ſocietate non teneantur? Quæ ratio patitur ut ab his, quemadmodum à tenuioribus, non omnis prohibeatur injuria? Quî poteſt ergo tam iniqua ſtare conventio? Quis

pactum

pactum illud defendat, quo tutor pupillam omnibus fortunis evertit; Pater indotatam collocat Filiam; materna ei jura detrahit, quò in liberos ex ſecundo matrimonio natos ea conferat; Spe omni ſucceſſionis in avita Regna, cùm illam, tum futuros ex ea nepotes dejicit; ſceptrum ad alienos, ſi fortè Regiæ ſtirpis liberi defecerint, præter jura ſanguinis, & patrios mores transfert; Natam ſuam quæ nihil commeruit, exhæredat; & quod caput eſt, cum illa ſic paciſcitur, ut jura etiam incognita repudiare, iiſque nec dotatam, nec liberam cogat omnino renuntiare. Hanc abdicationem ſi quis juſtam eſſe contendit, næ is quid jus, quid æquum ſit ignorat. Quid autem cum eo agas, qui fidei, juſtitiæ, legum, æquitatis, juris denique publici probat interitum?

His quidem rationibus fracta, & V.
convicta prorſus videri poteſt illa renuntiatio. Quò tamen omnis omnino dubitatio eximatur, aliis quoque argumentis ea eſt refellenda. Quæ quidem ſic optimè diviſuri videmur, ut primùm quæ huic excluſioni prætexuntur cauſæ, & falſæ, & fictæ demonſtrentur; tum ipſius conventionis formam ab omni jure eſſe alienam, atque in ea id eſſe vitii, quòd pactionem omnem contaminet, oſtendemus: Deinde pactum illud

non inutile modò, ſed etiam penitus impoſſibile, ſi bona quibus renuntiatum eſt, quæque huic clauſulæ ut materies quædam ſubjecta ſunt, ſpectentur, exemplis & rationibus planum faciemus. Poſtremò quibus renuntiatio innititur clauſulis, has injuſtas eſſe, & inhumanas probandum nobis, & velut in conſpectu omnium erit exponendum.

VI. Quibus rationibus Hiſpani Reginæ excluſionem firmare tentaverint.

Quò itaque illud renuntiationis, & excluſionis pactum ſpeciem aliquam haberet juſtitiæ, quatuor id potiſſimùm rationibus Hiſpani firmare, & ſtabilire conat ſunt. Primam cauſam poſuêre ſalutem & pacem publicam, quæ quidem, ſi il los audiamus, excluſionis clauſulâ maxi mè continetur; alteram, quæ in tam il luſtri conjugio futura eſſet æqualitas; ter tiam duxerunt ex magnitudine commo dorum, quæ ex ea renuntiatione cùn Galliæ, tum Hiſpaniæ regna conſequen tur. Quartam denique hanc addidêre, n tot Principatus, & Regna aliquando i unum coaleſcerent; cum ea latiùs patean quàm ut unius Regis poſſint imperio gu bernari. Earum quidem cauſarum quan tum quæque valeat, quàmque ſit juſta v deamus.

I. Prima excluſionis ratio expenditur.

AC prima quidem cauſa, ſi vera eſſet gravis omnino videretur. Quod enin pacis ſtabiliendæ, & ſanciendi fœder

fur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

fundamentum fuit, id minimè violandum arbitramur. Verùm illud cùm leve, tum etiam falſum eſt. Quis enim credat tam præclarum munus ab iniquiſſima conventione eſſe profectum? Nihil contrà eſt, ſi verè judicare volumus, quod potentiſſimis Regnis majorem perniciem afferat, quàm illa ordinis à natura conſtituti perturbatio; quàm legitimi in Regnum, vel Principatum ſucceſſoris dejectio. Hinc bellorum in longum ævum ſparguntur ſemina, quibus ſæpe magna evertuntur Imperia. Et certè qui tantam accipit injuriam, & meminit, & præ ſe fert dolorem ſuum, pluſque valent apud eum jura ſanguinis, & patriæ leges, quàm ulla conventio, aut renuntiatio, vel exquiſitis fucata coloribus. Hinc adeo bella oriuntur cùm externa, tum civilia, quibus, ut dictum eſt, permagna plerumque regna quatiuntur. Contrà, nihil vehementiùs pacem, ſalutemque publicam continet, quàm naturalis & legitimi ordinis conſervatio: qui quidem ordo ſtare non poteſt, ſi violentur jura ſucceſſionum. Hæc enim Divinâ providentiâ, cujus nutu, ut ſacra teſtantur oracula, Reges imperant, non hominum ambitione, & cupiditate firmantur. Neque ea lex, quâ maximè devincta eſt hominum ſocietas, quæque à cœleſti & æternâ lege ducitur, ſine ſumma rerum omnium confuſione perrumpitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

pitur. Hæc quippe eſt omnis juris publici, omnis imperii fundamentum. Hæc prima, & velut ſacra eſt totius univerſi lex, ſine qua nec domus, nec civitas, nec Gens ulla ſtare poteſt. Hanc qui negligunt, ipſius providentiæ munus in mutuam perniciem convertunt.

II. Nihil igitur abſurdius dici potuit, quàm pacem ex injuſta conventione, quæ inſtitutum à Deo perturbat ordinem, fluxiſſe: cum Sacrarum Scripturarum authoritate conſtet, juſtitiam paci eſſe conjunctam maximè; atque ut ſorores, ſic in mutuos amplexus ruere; nec demum unam ab altera poſſe divelli. Meminerint Hiſpani nullam in iis mandatis, quæ de pace concilianda habuerunt Legati aut futuri matrimonii, aut renuntiationis, aut excluſionis factam eſſe mentionem. Jam ſuprà innuimus, quod de pace componenda mandatum accepit Cardinalis Mazarinus, id die decimo Mai datum fuiſſe: cùm die viceſimo menſi Junii alias ſubinde literas de ineundo fœdere nuptiarum Rex Chriſtianiſſimus ad Cardinalem miſerit. Ex quibus efficitu pacis & connubii duo eſſe diſtincta fœdera, neque ullo pacto ea confundi oportere. Et quidem antè ineunda fuit inter utramque gentem concordia, & infenſos utrimque animos priùs reconci-

liato

liatos oportuit, quàm de nuptiis ageretur.

Domeſticum itaque fœdus publico adjunctum eſt, idque pacis inter Regna conſtitutæ effectus fuit, non cauſa: atque ut eodem die à Legatis ſubſcripta ſint, & conſignata pacis, & nuptiarum fœdera, ſunt tamen formâ, & inſtrumentis omnino diſcreta. Ea quoque variis ſunt temporibus ab utroque Rege confirmata. Ac demum jurisjurandi ſacramentum à Regibus, cum coram adeſſent, die ſexto Junii anni ſexcenteſimi ſexageſimi ſupra milleſimum ſolenni ritu adhibitum, ea quæ ad pacem, non quæ ad connubium pertinent, complectitur. Ex quibus exiſtimare poſſumus nuptiarum fœdus nequaquam pacis fœdere contineri: cum ambo & formâ, & rebus ipſis, & perſonis omnino ſeparentur. Reges quippe ut ſui quiſque Imperii perſonam ſuſtinentes, de pace tranſigunt. Rex verò Chriſtianiſſimus Ludovicus XIV. & Seren. Maria Thereſia Auſtriaca ſoli inter ſe contrahunt; atque huic contractui Rex Catholicus non alio quàm Patris, & legitimi tutoris nomine intervenit. Utrique etiam fœderi diverſa eſt ſubjecta materia, diverſi ſunt propoſiti fines. Pax inita grave bellum inter duo Regna potentiſſima reſtinxit. Ut ſplendor, aut majeſtas perſonarum magnam ipſi connubio dignitatem III.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

attulerit, privatus tamen is contractus fuit eodem cum cæteris ritu celebratus, iiſdem omnino formulis à jure præſcriptis illigatus. Uno quippe & eodem cum reliquis jure & vinculo; iiſdem legibus ea ſocietas continetur. Interſit inter ſummorum atque infimorum dignitatem; non alio tamen Sacramento Principes & privati conjunguntur. Sic undique omni ratione concludimus, aliud eſſe pacis, aliud nuptiarum fœdus. Rex Chriſtianiſſimus cum Rege Catholico pace compoſitâ utrique Regno conſuluit, ſibi duxit uxorem; hoc domeſticum & privatum, illud publicum fœdus fuit; hoc inter perſonas initum, illud inter regna ſancitum; hoc ad jus civile, illud ad jus Gentium pertinet.

IV. Nec aliud quiddam colligi poteſt ex iis verbis articuli 33. quæ innuunt pacem nuptiarum fœdere tamquam ſacro pignore roborari, & ſtabiliri. Quem enim fallit tam illuſtre connubium pacis eſſe firmamentum, atque initam inter Regna concordiam his nuptiis velut conglutinari? Neque id etiam quiſquam negaverit, privatum hoc fœdus ex publico manaſſe, ejuſque eſſe fructum multò uberrimum. Sed dabunt id quoque Hiſpani, illud conjugium ex arctiſſima, & individua ſocietate conſtare, non ex iniqua conventione, aut renuntiatione; quæ ſi abfuerit,

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

connubium nihilominus erit omni ex parte perfectum. Nec quemquam futurum arbitramur, qui illius articuli verba, quæ mox attulimus, in alium ſenſum detorqueat, eaque non ad matrimonium ipſum, ſed magis ad pacta referri putet oportere. Quid enim inſcitius, quid iniquius fingi poteſt, quàm Regem Catholicum, qui & Patris, & Regis nomine ſtipulatus eſt, ea tantùm lege induci potuiſſe, ut in pacem publicam conſentiret, dum bona, & fortunas filiæ ſuæ in ſe transferret? Quî valere poſſet tam injuſta conventio? Ne illud quidem inficiamur, evenire interdum poſſe, ut ſalutis publicæ cauſâ, privatorum bona hoſtibus tradantur: nec juſta eorum querela futura eſt, ſi modò illorum indemnitati conſulatur. Sed quæ afferri cauſa ſatis probabilis, aut idonea poſſit, cur Rex idem & Pater, ſpecie pacis, aut filiæ, aut pupillæ, aut aliorum etiam ſubditorum bona ad ſe convertat? Quid à teterrimo bello aut fœdius, aut acerbius expectari queat? Illud itaque ne in mentem quidem ulli ſano homini venire poteſt, ut Rex Hiſpaniarum ſibi ipſi, & liberis, qui ex ſecundo erant matrimonio procreati, Reginæ Chriſtianiſſimæ bona, & Principatus, idque paci conſulens retinuerit. Quid enim hoc eſſet, niſi in leges, juſtitiam, & religionem contumelia?

V. Sed quocumque modo illud ſeſe habeat, id unum meritò contendimus, pacem à nuptiis omnino eſſe disjunctam. Ea quippe in pacis fœdere verſantur, de quibus bello antè dimicatum fuit. Hîc de Provinciis, & urbibus quas jure belli Rex Chriſtianiſſimus detinebat; de regundis utriuſque Imperii finibus tranſactum; aliæ itidem quæ inter utramque Coronam motæ fuerant controverſiæ, ſunt compoſitæ; jura ſociorum, Principum, Magnatum eo quoque fœdere comprehenſa. Inſtrumenti verò dotalis alia longè ratio eſt. Quæ ad dotis conſtitutionem, quæ ad ſolutionis tempora, quæ ad doarium pertinent, quæque à conditionibus pacis ſunt remotiſſima, id complectitur. Niſi ſi quis velit de Sereniſſimæ Infantis dote collocanda tum inter Gallos Hiſpanoſque bello & armis certatum fuiſſe. Id videlicet tum in contentionem veniebat, utrum Sereniſſima Hiſpaniæ Princeps incolumia, & ſalva ſua retineret jura, an Principatus omnes, & ſpem ſuccedendi abjiceret? Quî ergo potuit ad pacis conditiones id pertinere, de quo nulla tum erat controverſia? Pax quidem publica ex uſu, & re fuerit Sereniſſ. Infantis; ſed ea communis genti, & regno univerſo fuit utilitas: nec propterea bonis ſuis & fortunis Principem ſpoliatam oportuit, aut illi detrimento eſſe, quod ad ſalutem Hiſpaniarum

per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

pertinebat. An illa pax quæ Galliæ decora fuit, quæ partas ejus victorias ornavit, uni Galliarum Reginæ infeſta eſſe poteſt? Quid eſt cur in illius perniciem cedat, cui maximo ornamento eſſe debet?

Sed quid ego pluribus? id ſatis eſt argumenti, Reginæ excluſionem à pacis negotio prorſus eſſe ſejunctam, quòd in eo fœdere ſit omnino prætermiſſa. Potuitne res tanta tam negligenter agi, ut nulla ejus mentio fieret in ipſo fœderis inſtrumento? Non adeo leves, & inconſiderati erant Hiſpanici Conſilii Adminiſtri, qui rem maximi momenti, & in qua ſumma rerum verteretur, ſilentio præterirent. Nec ipſis exciderat quid in ſancito Madriti fœdere inter Franciſcum I. Galliæ Regem, & Carolum V. Imperatorem actum eſſet; in quo quidem non pacis modò; ſed etiam initi inter Franciſcum I. & Eleonoram quondam Luſitaniæ Reginam Caroli V. ſororem connubii leges, & conditiones diligenter perſcriptæ fuerunt. Quid igitur in cauſa eſſe potuit, cur in hoc itidem fœdere illa excluſio, quâ pacem maximè contineri volunt, concepta non fuerit, & dilucidè explicata? VI.

Quocirca nobis quidem videntur Hiſpani rem minimè probabilem quaſi VII.

jure ſuo arripere; quæ ut vera eſſet, eoſdem tamen rupti fœderis reos ageret: cum pacto ipſo non ſteterint; cum promiſſam dotem non exſolverint. Itaque ſi unum eſt atque idem pacis, & nuptiarum fœdus; ſi pacta dotalia ad pacem publicam pertinent, irritam ab iis pacem factam fuiſſe, & violata fœdera vel inviti fateantur neceſſe eſt. Quam igitur afferunt primam excluſionis cauſam, hæc omnino inepta eſt, falſa, iniqua, atque in Hiſpanos ipſos revolvitur. Illud quidem eſt longè veriſſimum, hanc à Legatis initam eſſe rationem, quò pax ſtabilior foret, ut nuptiarum fœdere, tamquam ſigillo obſignaretur. Ne illud quidem negari poteſt, Reginam Chriſtianiſſimam magno providentiæ munere datam fuiſſe, quæ, ut columba olim ramum olivæ gerens, reconciliati cum Deo humani generis omen fuit, ſic pacem Gallos inter & Hiſpanos initam nuntiaret. Fuerit igitur illud connubium icti fœderis argumentum, penè ut Iris quondam placati numinis indicium fuit, cum effuſæ diluvii aquæ remearunt. Sed ut aliud eſt ſignum, aliud id quod per ſignum intelligitur: ſic domeſticum fœdus à publico, connubium à pace, cujus effectus eſt & argumentum, omnino dividitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Ac de prima quidem cauſa, quæ excluſioni aut renuntiationi prætexitur, ſatis, ut putamus, diligenter dictum eſt. Nunc de ipſa æqualitate, quam ſecundo loco poſuerunt, ſtrictim breviterque dicendum. Et certè in quo poſita ſit illa æqualitas, quam ſummo ſtudio Hiſpani quærere videntur, ne conjecturâ quidem ſuſpicari poſſumus. Regina quippe Chriſtianiſſima, quod ſæpe dicendum eſt, paternis cogitur bonis renuntiare; Caſtellæ Regno cùm illa, tum poſteri excluduntur; omni demum ſucceſſione pellitur, omni Principatu ejicitur; ſpes omnes cum fortunis amittit; atque huic injuriæ, quâ major nulla eſſe poteſt, falſa æqualitatis ſpecies objicitur. Id profectò juris æquabilitas omnino exigebat, ut quam Rex Chriſtianiſſimus tam potentis, & latè fuſi imperii efficeret participem, ea viciſſim quoddam Imperii genus, ſi contingeret; ſin minus, ſpem alicujus ſaltem Coronæ in dotem afferret. Æquum id quoque videbatur, ut liberi qui ex tam illuſtri naſcerentur conjugio, ab avitis Regnis penitus non excluderentur. Quòd ſi enim potuit Regius utrimque ſanguis miſceri, cur in communes liberos coaleſcere non poſſint Imperia? Nihil quidem erat huic, quam præ ſe ferunt Hiſpani, æquabilitati magis conſentaneum, quàm ut liberi qui ex

VIII. Secunda ratio refellitur.

utraque ſtirpe genus trahent, & in quos Rex Chriſtianiſſimus ſceptrum coronamque tranſmittet, maternæ quoque hæreditatis non eſſent exortes. Cum denique arctiſſima ſit in conjugio, & fortunarum, & liberorum ſocietas, id æquum fuit, ut liberis, & poſteris quàm optimè conſuleretur, & quibus Rex Galliarum regnum ſuum relinqueret, ad eos ſaltem jura ſucceſſionum à matre pervenirent. Hanc videlicet juris æquitatem ſequi oportuit. Verùm ubi illa eſt æqualitas, cum Rex potentiſſimus, præter cæteros Principes Dei muneribus ornatus, ſummo quidem genere, & omni laude excellentem ducit uxorem, ſed eamdem omni dominio, Principatu, jure, omni denique re familiari per ſummam injuriam Conſilii Hiſpanici ſpoliatam? Quæ major poteſt eſſe rerum confuſio? Quid minùs par, aut æquabile? An non id prodigio ſimile, Principem cum liberis ſuis avito Regno expelli, quò alieni in eorum locum ſuccedant? Quid magis ab omni æquitate alienum, quàm illuſtri Principi jura eripere, quæque ex patriis legibus ad eam pertinent, diſtrahere? Profectò id tantùm ab æquabilitate juris abeſt, ut nihil magis poſſit eſſe contrarium.

IX. *Tertia ratio diluitur.* Sed ne illa quidem cauſa, quæ tertio loco propoſita eſt, plus habet ponderis; quòd

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

quòd ea videlicet excluſio ex utriuſque Regni uſu eſſet futura. Id utique daremus, ſi ſua utriſque ſervarentur jura. At ſi penes Hiſpaniam manent & bona, & Principatus, ex quibus Reginæ dotem conſtitutam oportuit; illud profectò apertùm & perſpicuum eſt, ex Galliæ incommodis Hiſpaniam ſua comparare commoda. Neque adeo id fit ex communi utriuſque Imperii uſu, quod in unius quidem utilitatem, in alterius cedit injuriam. Callidè quidem, & aſtutè Conſilium Hiſpanicum propriæ utilitati, & rebus ſuis voces accommodat; æquabilitatem juris id vocat, in quo ſumma eſt iniquitas; illud ex uſu Galliæ futurum fingit, quod ei maximo eſt detrimento. Hoc longè quidem verius, nihil magis in utriuſque Imperii perniciem fieri potuiſſe, quàm illam Reginæ Chriſtianiſſimæ excluſionem. Nihil enim inter potentiſſimos Reges ictum fœdus poteſt arctiori vinculo adſtringere, quàm juſtitiæ, & æquitatis ratio. Nihil contrà eſt, quod magis illam ſocietatem divellere, & pacem turbare queat, quàm iniqua illa renuntiatio, quæ hæreditaria Regnorum jura patriis ſancita legibus evertit. Quamobrem communi utilitati peſſimè ab iis conſultum fuit, qui ut Hiſpaniam Reginæ ſpoliis augerent, hoc pactum induxêre, ex quo nihil aliud quàm ſumma rerum perturbatio, & bella orbi Chriſtiano

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

luctuoſa manare poſſunt ; niſi fortè in meliorem mentem ii mutentur, qui authores hujus pravi conſilii fuêre, atque ad ſanitatem, ſi modò poſſint, convertant hoc malum.

X.
Quarta ratio excutitur.

Reſtat ut quam renuntiationi præmunierunt cauſam ultimam, breviter attingamus, magis ne præteriiſſe eam videamur, quàm ut res diſputatione egeat: quando Rex Catholicus vivit, & diutiſſimè hujus lucis uſurâ fruetur, ſi Reginæ Chriſtianiſſimæ votis annuerit Deus. Et quidem non ſatis Hiſpani ſibi ipſis videntur conſtare. Neque enim conſentaneum eſt, ut quo fœdere, quo inſtrumento Galli & Hiſpani arctiſſimâ ſocietate, cujus matrimonium vinculum eſt, cùm animo, tum corpore in utriuſque ſui Principis perſona conjunguntur, eodem tamen utramque gentem conſociari non poſſe caveatur. Quid obſtat quominus utriuſque Regni coronæ in unam poſſint coaleſcere, ſi quæ illas gerunt ſacra capita in unum conveniant? Nec verò quicquam affertur cur illa ſibi invicem adeo infeſta ſint Imperia, ut nullâ ratione ſimul conſociari poſſint. Cedo, ubi eſt illa contrarietas? Neque enim inter Urbes vel Provincias tam acerba poteſt eſſe diſſenſio. An fortè adhuc iræ in ipſis animis vivunt, nec bonâ fide in gratiam rediêre? Sed ea perfidiæ ſuſpicio omnino removenda.

venda. An ignoramus quanta olim inter utramque gentem concordia fuerit? Quem enim fugit Gallorum auxiliis exactos Hiſpaniâ fuiſſe Sarracenos? Quem non moveat ſacrum illud & ſolenne, non modò inter Carolum V. Galliæ Regem cognomine Sapientem, atque Henricum II. Caſtellæ Principem, cujus ex ſtirpe, qui nunc Hiſpaniæ præſunt Reges ſunt oriundi, ſed etiam inter ſingulos Regni utriuſque homines fœdus olim ſancitum, quo ut frater fratrem, ſic Gallus Hiſpanum, & viciſſim adjuvare teneretur. An non hæc ſunt inter eas gentes mutuæ benevolentiæ, & concordiæ clariſſima monumenta?

Neque id nos fallit, quàm hæc latè pateant Imperia, Regionum, & Provinciarum varietate: ſed ea quidem magnitudo nihil obſtare poſſet, quominus, Divinâ ita moderante providentiâ, membra velut disjecta, ſanguinis & naturæ jure in unum corpus convenirent. Nec tum rationes illæ quantumvis ſpecioſæ, quæque facillimè in contrarium duci poſſunt, plus eſſent ponderis habituræ, quàm naturæ leges omnium Gentium conſenſu comprobatæ. Quam enim habet rationem communis hominum vita ad augendas opes, & facultates procliviorem, aut magis uſitatam, quàm ſucceſſionum viam, quæ ut breviſſima, ſic eſt omnium XI.

longè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

longè juſtiſſima? Aut ex quo fonte potiùs manant illæ ſucceſſiones quàm ex connubiis, & affinitatibus? Quòd ſi replicare memoriam temporum velimus, & rerum geſtarum monumenta ſcrutari, jam diu eſſe ex quo Regia utraque domus ſibi mutuâ eſt affinitate conjuncta, reperiemus. Ludovicus VII. Rex Galliarum anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo uxorem duxit Iſabellam Alphonſi V. Regis Caſtellani filiam. Cum quinquaginta interfluxiſſent anni, nempe anno milleſimo ducenteſimo primo Blancha Alphonſi VIII. Regis Caſtellani filia nupſit Ludovico VIII. Philippi Auguſti filio. Anno itidem milleſimo quingenteſimo triceſimo Franciſcus I. Eleonoram Caroli V. Imperatoris ſororem in matrimonium accepit. Nullum excluſionis veſtigium in his impreſſum connubiis apparet. Cùm Anna Auſtriaca, quæ nuper ex hac vitâ in meliorem exceſſit, Ludovico XIII. felicis memoriæ nupſit, tùm primùm hæc renuntiationis conditio dotali inſtrumento adjecta fuit: ſed quod ſemel factum eſt, & antehac numquam, id in exemplum trahi non poteſt, nedum inſtar legitimæ conſuetudinis obtinere. Neque id nudè quid factum, ſed quâ cauſâ factum fuerit, intuendum. Ratio verò in promptu eſt, cur Anna Auſtriaca, quod ante hoc tempus num-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

numquam uſurpatum fuerat, regnis Hiſpaniæ renuntiaverit: tum enim Gallia, & Hiſpania mutuo inter ſe, & duplici nuptiarum fœdere jungebantur. Eliſabetha Franciæ Philippo IV. Hiſpaniarum, ſimul Anna Auſtriaca Ludovico XIII. Galliarum Regi nuptum data eſt. Cumque Eliſabetham Lex Salica à Regno Franciæ excluderet, quò utrobique eadem ſervaretur æqualitas, id ab Hiſpanis poſtulatum eſt, ut Anna Auſtriaca, quæ futura erat Franciæ Regina, avitis itidem Regnis renuntiaret. Vehementer quidem huic novæ conditioni à Gallis reclamatum, & vix tandem id Hiſpanis conceſſum fuit; tametſi nulla tum erant Annæ Auſtriacæ quæſita jura: cumque illi & fratres, & plures ex iis forent nepotes, procul aberat ab omni ſpe ſucceſſionis; nec certè ulla ab inito matrimonio ad eam venit hæreditas. At Reginæ Chriſtianiſſimæ alia longè cauſa eſt: cùm enim renuntiavit, tum Principatus ex fratris morte jam illi obvenerant. Eſt igitur diſſimile totum; neque adeo exemplum illud, quod ex omni memoria ſolum eſt, Hiſpanis favet, aut excluſionis æquitatem probat. Tum enim, ut diximus, duplex, & velut reciproca fuit utriuſque regni affinitas; data Hiſpanis, ſimul & ab iis accepta Regina; quæque plurimum adverſus novum exemplum valet exceptio, & vetera

maxi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

maximè confirmat, hoc inter Annæ & Mariæ Thereſiæ excluſionem intereſt, quòd hæc delatæ & acquiſitæ ſucceſſioni renuntiaverit; illi jus nullum eſſet quæſitum, nullam ea cerneret hæreditatem, nullus ei obveniſſet Principatus. Sed neque ullo ſatis idoneo poſſunt exemplo demonſtrare apud Hiſpanos, Anglos, Scotos, Suecos, aut alias denique Nationes quæ fœminas à ſummo Imperio non excludunt, his ſuccedendi in regnum jus pacto renuntiationis ereptum unquam fuiſſe. Ferdinandi Hiſpaniarum Regis tres Filias, Philippi I. quatuor, Caroli V. duas, Philippi II. ut alios omittamus, itidem duas Filias externi Principes duxerunt, nullo unquam interpoſito renuntiationis pacto. An quiſquam eſt qui ignoret, quot Principatus, quot Regna connubiis, & affinitatibus in domum Auſtriacam confluxerint? Quem fugit Hiſpanicam Monarchiam non tam armorum, quàm ſucceſſionum, quæ ad mulieres delatæ ſunt, jure in tantam molem excreviſſe? Hinc ſcitè, quicumque in eam ſententiam cecinit,

Bella gerant alii, tu felix Auſtria nube.

I. Quæ in formâ inſunt vitia.

AC nobis quidem videtur renuntiationis pactum mentitis coloribus exutum; ſimul quæ illi adjunctæ fuerant cauſæ, ut larvæ quædam, & vana juſtitiæ ludibria detractæ ſunt; proximum eſt ut quæ in ipſa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ipſa forma inſunt vitia, perſequamur. Et primùm illud mirari ſatis non poſſumus, eam renuntiationem, in qua elaboranda omne ſtudium ſuum, induſtriam, & exquiſitiſſimæ politicæ artem Hiſpanici Conſilii Adminiſtri poſuerunt, ab iis tamen qui tantæ rei conficiendæ non habuerunt poteſtatem, eſſe conſtitutam. Negamus enim illam excluſionem utriuſque Regis imperio factam fuiſſe. Legatis quippe Reges, quod ſæpe diximus, in mandatis dederunt, tum ut pacem componerent, tum ut jungerent affinitatem. Quæ Cardinalis Mazarinus à Rege Chriſtianiſſimo habuit mandata, ut rebus ipſis, ſic temporibus diviſa eſſe jam non ſemel monuimus. Diſtincta quoque, & ſeparata Ludovicus de Haro à Rege Catholico accepit diplomata, die v. Julii anni 1659. conſignata. Nihil in iis de excluſione continetur; nec Hiſpaniæ Legato imperatum, ut hanc renuntiationem exigeret, aut Cardinali permiſſum, ut ei conſentiret. Utrique data quidem eſt poteſtas, ut quæ ad pacta dotalia, quæ ad doarium ſpectabant, unà ſtatuerent; at nihil omnino de renuntiatione, vel excluſione mandatum. Cum itaque pactum illud renuntiationis ab iis qui poteſtatem non habuêre, initum fuerit, in ipſa conventionis forma id vitii hæret, quod ſanari nullo modo poteſt.

Atenim

II. Objectio. Atenim generali illâ & ſolenni clauſulâ, quâ Legatis quæ ipſis è re communi, & fide ſuâ facienda viderentur, ampliſſima gerendi poteſtas conceſſa eſt, hoc etiam renuntiationis pactum continetur. Refellitur. Ne illud quidem futurum arbitramur, ut Hiſpaniæ Conſilium hac perditiſſimâ utatur defenſione. Quis enim eſt niſi idem juris civilis expers, & legum planè ignarus, qui neſciat generales clauſulas ad ea tantùm quæ mandatum, aut procuratio expreſſis verbis complectitur, referri oportere? Hanc enim habet vim illa formula, ut qui mandata gerunt, quibus viſum fuerit conditionibus, de rebus ipſis quas in mandatis habent, paciſci, non ut novas poſſint, & inopinatas clauſulas intexere [a]. Quòd ſi id egerint, plus ſibi tribuunt, quàm leges ipſæ permittunt. Procurator enim, cui totius rei adminiſtrandæ libera & generalis data eſt poteſtas, alienare quicquam, vel diſtrahere, niſi ſpeciale mandatum acceſſerit, legibus omnino prohibetur [b]. Par & una eſt ratio ejus qui alterius negotia gerit mandato generali inſtructus: is enim non poteſt illius qui mandavit, jura imminuere; aut ſine mandato ſpeciali jusjurandum alicui deferre; aut cum debitore ſic tranſigere, ut is cujus vice fungitur, diſpendium aliquod pa-

a Verba generalia debent reſtringi ad naturam & limites materiæ ſubjectæ. *Mol. in Conſ. Pariſ. tit.* 1. §. 1. *gl.* 1. *num.* 25.

b Procurator totorum bonorum cui res adminiſtrandæ datæ ſunt, res domini neque mobiles, neque immobiles, vel ſervos alienare poteſt ſine ſpeciali mandato. *L. Procurator. D. de procur.*

patiatur [a]. Id ipſum cùm ratione, tum ſuâ authoritate confirmat Clemens V. quòd non ſatis æquum videatur ut res graviores, quàm quæ in ipſo mandato ſunt explicatæ, generalis clauſulæ obſcuritate involvantur [b]. Eâdem penè ratione utitur Felinus, cum negat ea quæ reticentur, plus habere momenti oportere, quàm quæ diſertis verbis concepta ſunt [c]. His aſſentitur Covarruvias, qui ſapienter obſervat generales illas clauſulas ex ſolenni potiùs, & uſitata Notariorum formula, quàm ex eorum qui mandant, voluntate depromi; neque eam vim habere ut ſpeciale mandatum inducant [d]. In eadem quoque ſunt opinione Montalvus, & Gregorius Lopes, qui leges Hiſpaniæ ſuis commentariis illuſtrarunt [e]. Ac demum ne in congerendis teſtimoniis longiores ſimus, conſtans eſt & firma omnium Doctorum ſententia, generales clauſulas mandatis adjectas ultra res quæ frequentiùs uſurpantur, quæque naturali quadam cognatione iis quæ mandantur, ſunt conjunctæ, nequaquam excurrere. Quod cum in omni conventionum genere, tum maximè in pactis dotalibus, quæ & majoris ſunt momenti, & magis è re communi, valere debet [f]. Quid igitur? An illa renuntiatio de qua nunc agimus,

a Mandato generali non contineri etiam tranſactionem diminuendi cauſâ interpoſitam. *L. Tranſactionis. C. de tranſact.*

b Cum ſub generalitate tali graviora non veniant, vel majora quàm in ipſa procuratione ſint expreſſa. *Cl. non poteſt.*

c Quando tacita ſunt graviora, & ponderoſiora expreſſis. *Sup. c. Nonnul. de reſ.*

d In his quæ ſolent grave diſpendium damnumve mandanti afferre, prædicta clauſula generalis, quæ potiùs ex Tabellionum ſtilo, quàm mandantis voluntate exprimitur, non habet eam vim, ut ſpeciale mandatum inducat. *Var. reſol. lib.* 1. *c.* 6. *nu.* 3.

e *Ad l.* 19. *tit.* 5. *part.* 3. *de la* 7. *partid.*

f Generali mandato quærendi mariti filiæ, non fieri nuptias, rationis eſt; itaque demonſtrari patri perſonam nubentis neceſſe eſt. *L. generali. D. de ritu nupt.*

quæ-

quæque non alicujus hæreditatis ceſſionem, aut aliquam bonorum alienationem, ſed rerum omnium, & Principatuum abdicationem, atque æternam quodammodo excluſionem complectitur, citra ullum ſpeciale mandatum effici potuit? Et quidem hoc genus renuntiationum uſitatas connubiorum pactiones aut ſocietatis virum inter & uxorem jura non attingit. Aliud quiddam longè eſt ab iis conventionibus, quæ ſolent uſurpari; ad jura cùm quæſita, tum futura id pertinet; ad Imperia uſque, & Principatus ſe tollit; tantùm denique affert detrimenti, quantum ullo æſtimari pretio poſſit. An illud quiſquam induxerit in animum, eam eſſe generalis & tacitæ cujuſdam clauſulæ vim, ut rem adeo juri, legibus, & naturæ alienam Mandatarius poſſit exequi, & eum qui mandavit in id adſtringere, quod conceptis verbis in ipſa procuratione nullo modo continetur? Præſertim cum id jure civili ſancitum, & uſu publico receptum ſit, mandantis cauſam fieri meliorem interdum poſſe, deteriorem non poſſe [a]. Potuerint Legati quæ ad dotem, doarium, ſolutionis diem pertinent, quæque in dotalibus inſtrumentis uſurpari ſolent, arbitratu ſuo cavere, augere, minuere: ſed quâ illi authoritate, aut filiæ Regis jura naturæ, aut Principi delata jam Imperia, & ſpem omnem ſucceſſionis in paterna Regna præripere, & leges, quibus

[a] In cauſa mandati illud vertitur ut interim nec melior cauſa mandantis fieri poſſit, interdum etiam melior, deterior numquam. *L. 3. D. Mandati.*

Hiſpaniæ

Hiſpaniæ regnum fundatum eſt, potuerunt convellere? An generalis clauſula conſtituendæ rei tam novæ, tam inuſitatæ jus illis & poteſtatem dedit? Quid, ſi alter ex Legatis vel unam civitatem dedere vi illius univerſalis clauſulæ auſus eſſet? an Rex cujus injuſſu civitas dedita fuiſſet, eâ ſponſione Legati teneretur? Quanti verò eſt unius arcis, vel urbis deditio, ſi ad illam excluſionem, quâ nulla major eſſe potuit, comparetur?

III. Verùm, ne in re tam clara & manifeſta diutius immoremur, quæque uno verbo explicari poſſunt, pluribus oneremus: hîc diſtinctio quædam videtur adhibenda: mandata quippe generalia partim ejuſmodi ſunt, ut omnia omnino ejus qui mandavit negotia, ſine ullo diſcrimine, vel exceptione complectantur; partim ad res certas, & præſcriptas referuntur. Illa ut infinita quodammodo ſint, tamen res dumtaxat uſitatas attingunt: neque enim licet procuratori quicquam aut vendere, aut alienare, niſi ſpeciale mandatum acceperit. Cum enim hujus generis contractus in eorum commodum, qui ſuis negotiis intereſſe non poſſunt, inducti fuerint, in rem abſentium, non eorum debent eſſe detrimento. Sed quæ ita generalia ſunt mandata, ut his tamen certa ſit ſubjecta materies, palam fit ex ea re, quæ gerenda præcipitur, illa

defi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

definiri, & circumſcribi oportere. Cur alio utamur exemplo, quàm eo ipſo quod nunc nobis eſt in manibus? Quod Legati ad conciliandas Regem Chriſtianiſſimum inter & Sereniſſimam Infantem nuptias mandatum utrimque accepêre, perſpicuum eſt hujus vim nuptiarum fœdere ve-lut ſeptam, & pactis dotalibus, quæcumque ſint illa, quæ ſolenni uſu ſunt frequentata, ſic coërcitam fuiſſe, ut ad alias res huic fœderi alienas minimè pertineret. Quamobrem id maneat in cauſa, & fixum ſit renuntiationem, quæ injuſſu eorum, quorum maximè intererat, facta eſt, non magis conſtare poſſe, quàm acta quæque publica legitimâ authoritate deſtituta. Cum enim vim omnem ſuam, & robur hinc trahant, quidquid id eſt quod detracta poteſtate agitur, hoc ipſo vitioſum eſt, & irritum. Quî enim ſcire poſſumus an Regina Chriſtianiſſima huic pacto conſenſerit; unde voluntatem ejus niſi ex ipſo mandato licet interpretari? Cumque de illa renuntiatione nihil Legati in mandatis habuerint, profectò ſequitur pactum illud conſenſu deſtitutum valere non poſſe.

IV. Secunda objectio. At verò, inquiunt, id conventum pòſt ratum habuit Regina Chriſtianiſſima; & ſi quid tum omiſſum fuit in mandatis Legatorum, id ſubſecutâ confirmatione expletum abundè eſt. Age,

Diluitur.

hoc

hoc ipſum actum agnoverit, & ſuſceperit Regina: potuitne quæ priùs irrita fuit conventio hinc convaleſcere? Errat longè, noſtrâ quidem ſententiâ, qui quod pravum, & injuſtum initio fuit, tum valere exiſtimat, cum poſtea ratum habetur, & firmum. Quæ ſubſequitur authoritas, aut ratihabitio factum quidem probat, quod præter mores, aut leges actum eſt, non corrigit. Hinc concinnè Bartolus docet eum qui quod alius egerit, ratum habet, factum ipſum, non qualitatem facti comprobare [a]. Scitè etiam Baldus negat ſi quid peccatum fuerit in forma, & natura contractûs, id vitii ſanari poſſe, etiamſi ratihabitio fuerit ſubſecuta [b]. Cum his ſentiunt Felinus [c], Alexander [d], & Damaſus [e], qui diſertè docent contractum legibus repugnantem nequicquam ratum fieri, quæque acta lex

a Effectus ratihabitionis eſt ut quis videatur approbare factum, non qualitatem facti, unde ſi eſſet male factum, poſſet agi. *Ad L. Pomponius. D. De neg. geſt.*

b An ratihabitio æquiparetur mandato, ſic dico; aut illud quod fuit factum ante mandatum potuiſſet aliquo jure valere, & tunc ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, aut non potuiſſet aliquo jure valere, & tunc ratihabitio non comparatur mandato, nec facit retroacta valere, quia ratihabitio non confirmat quæ ſunt nulla, & quæ non habuerunt ſua eſſentialia.

c Si ergo actus eſt nullus, non cadet ibi ratificatio; neque enim actus poteſt reconvaleſcere per ratificationem quando eſt comprobatus à lege.

d *L. 5. Conſ. 78.*

e Confirmatur res invalida ſi ejus perfectioni obſtat ſolùm diſſenſus habentium ratum: alioqui ſi alia obſtarent, non confirmaretur ratihabitione. *Tract. de Proc. memb. 3. num. 7.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

improbat, ex ratihabitione non convaleſcere. Quod autem à Doctoribus uſurpari ſolet, ratihabitionem retroagi, ita accipiendum eſſe tradit Argentreus [a]: ſi modò contractus ipſe in ſuo velut fonte infectus non fuerit: nam cujus initium nullum eſt, id poſtea nequicquam confirmatur. Quâ quidem ratione utitur etiam Azevedo [b] ſcribens in leges Hiſpanicas. Nam, ut ſemel dicam, hanc habet vim illa confirmatio, aut ratihabitio, ut de facto nulla eſſe controverſia poſſit; tametſi de jure ſemper ambigitur, & utrum quid ritè actum fuerit, an ſecùs, meritò contenditur [c]. Da pactum fœneraticium, aut ſimoniacum, aut injuſtam exhæredationem, aut irritam electionem: quæcumque accedat authoritas, vel ratihabitio, nec contractus, nec exhæredatio, nec electio denique legitima futura eſt [d]. Quod enim legibus, quod moribus actum fuit, id ratum fieri poteſt: ſi quid vitioſè factum, ſi quid peccatum ſit in contractûs ſubſtantia & forma, nihil huic vulneri mederi poteſt, quæque adhibentur remedia, nihil quàm morbum exulcerant. Cum enim principia ſe habent malè, tum nullus remediis locus eſt; atque ut ratihabitio jus vetus confirmet, nihil tamen novi juris tribuit; & quæ perperam acta ſunt, aut in ipſa radice corrupta non emendat [e].

Quo

a Quòd vulgo aiunt ratificationem retrotrahi, intelligunt, niſi actus ab initio nullus ſit. *Art.* 96. *Conſ. Brit.*

b Ratihabitione non validatur id quod nullum eſt. *L.* 15. *tit.* 21.

c Innovatio nihil juris tribuit, ſed ſolummodo vetus conſervat. *C.* 1. *De conf. util. vel inut.*

d Electio quæ fuerit irrita ipſo jure, per ſubſequentem conſenſum non poteſt eſſe rata. *Cap. Auditis. de elect.*

e *Dict. c.* 1. *de confir. utili vel inut.*

Quocirca id unum efficit illa confirmatio, ut ejus ad quem res ſpectat, quique conventis ipſis non interceſſerat, conſenſus in actum, vel contractum influere videatur. At ſi quid præter illum conſenſum deeſt; ſi quæ abeſt formula; ſi quid præter jus, & æquum actum fuit, ſi quæ alia labes inſideat, his non medetur incommodis ſubſecuta authoritas, vel conſenſus. Niſi id fortè non attendimus duo eſſe pactorum genera; quædam ſolo conſenſu ita perficiuntur, ut nullam juris formulam exigant; atque ex iis naturalis quædam naſcitur obligatio, bonâ fide tanquam fundamento ſubnixa. Nec verò id dubium eſt quin hujus generis pacta, aut conventa ratihabitione, quæ conſenſum ipſum, quo maximè continentur, affert, omnino roborentur. Hinc ſi quis major viginti quinque annis id ratum habeat, quod minor promiſerat; cum id pactum in ſolo conſenſu poſitum ſit, ubi hic acceſſerit, tum valebit obligatio. Alia verò ſunt acta, aut conventa, quæ præter conſenſum, qui omni pacto communis eſt, certis præterea ſunt adſtricta formulis, quas vel conſuetudo, vel jus civile præſcripſit, quæque ſi defecerint, conventa omnino irrita, infecta, & vitioſa cenſentur. Atque in his contractibus ratihabitio fruſtra adhibetur; cùm ea explere non poſſit, quæ fuerunt in V.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

conventionibus prætermiſſa. Exemplo ſit ipſa donatio, quæ ſi acceptata non fuerit, quantumvis poſtea confirmetur, aut rata habeatur, valere nunquam poteſt. Id ipſum de matrimonio dictum puta, quod ſi clandeſtinum fuerit, ratum jure fieri nequit. Cum enim legibus donatio nulla ſit acceptatione deſtituta; nec ſtare poſſit connubium ni publicæ ſponſalium denuntiationes præceſſerint, ac præter conſenſum eorum qui nuptias ineunt, parentum quoque ſuffragia acceſſerint, & teſtes ſint adhibiti: ſi quæ ex iis quæ jure deſcripta ſunt, deficiant, matrimonium ne puncto quidem temporis ſtare poteſt. Neque huic aliud eſt malo remedium, quàm ut inſtauretur donatio, aut nuptiæ de integro ritè celebrentur.

VI. Ex hoc quidem fonte manat ea quam Baldus ſequitur regula; quòd ubi ad formam & naturam contractûs ex lege mandatum requiritur, ſi id defuerit, non modo nihil agitur, ſed ne confirmatione quidem poteſt convaleſcere [a]. Cum enim, ut docet Bartolus, forma lege præſcripta deficit, id nullo poteſt pacto emendari, nec quicquam prodeſt

[a] Si ſtatutum dicit quòd proceſſus procuratoris non valeat ſine mandato, ratihabitio non ſufficit, quia licet ratihabitio æquiparetur mandato, tamen fallit, ubicumque res requirit mandatum pro formâ. *Ad L. Executorem. C. de exec. rei jud.*

ſub-

ſubſecuta confirmatio [a]. Eadem ſentit Azevedo [b]: Gomes itidem ſcribens in legem ſexageſimam Tauri, in ea quidem opinione eſt, quâ plerique alii, quos laudat, ut quotieſcumque in rebus contrahendis, aut in actis publicis, mariti, vel tutoris requiritur authoritas, illam præire, non ſequi oporteat; ſecus nihil omnino agi, neque id jure ratum poſtea fieri poſſe [c]. Covarruvias quoque negat ſuppleri poſſe formulam, quæ à jure fuit conſtituta, quæcumque pòſt acceſſerit authoritas, aut rei actæ comprobatio [d]. Nec demum ab ea ſententia, quæ omnium penè Doctorum communis eſt, abhorret Argentreus, qui id etiam præter cæteros obſervat, quòd ſi quis non impetratâ à judice facultate, cum in Provincia id moris obtinet, alium in jus vocaverit, tum vadimonii libellus nullus ſit; etiamſi poſtea judicis authoritate confirmetur [e]. Quod quidem in una re ab Argentreo poſitum, in multas transferri poteſt. Nam ſeu judex extra forum ſuum jus dixerit;

a Ratificationem in totum tollimus ad validitatem actus, tota enim ſubſtantia actus pendet à conſtitutione precedenti, nec ratificatione idem pollebit.

b *L. 14. tit.* 13.

c Paulus de Caſtro, & communiter Moderni tenent quòd ſi licentia, conſenſus, vel authoritas alicujus requiritur pro forma, & ſolennitate actus, requiritur quòd præcedat, & non ſubſequatur. *In L. 60. Taur. num. 6.*

d Si dicas ex regulis juris ratihabitionem æquipollere mandato: reſponderi ſatis poterit, eam regulam procedere in univerſum, quoties ſpecifica deciſio minimè requiratur: etenim non eſt ſatis argumentatio ex ratihabitione quæ mandato per æquipollentiam, non in ſpecie comparatur, nec idem eſt cum mandato.

e Si ſupervenit defectus ex legis diſpoſitione, ratihabitio impeditur, quia in his quæ reſpiciunt nullitatem ipſius actus, duriùs agitur cum lege, quàm cum homine.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ſeu quis alius, nec ſpeciali mandato, nec idoneâ authoritate munitus publicum quodcumque munus obierit; aut non delegatus vicariam præbuerit operam, non modò impunè huic non paretur; ſed etiam quæ egerit, ea nullius eſſe momenti palam eſt, quæcumque pòſt ſecuta fuerit judicis authoritas [a]. Ubicumque enim rei geſtæ confirmatio vim habet mandati, id ex quadam fictione juris proficiſcitur: quæ quidem non eò valet, ut præſtitutam à lege formulam, vel legitimam ejus qui publico munere perfunctus eſt, poteſtatem, aut juriſdictionem demum ſupplere poſſit [b].

a Corruit ex defectu ſolennitatis, ſupplere autem defectum ſolennitatis ſubſtantialis non dependet à facultate judicis, ideo non poteſt ratificare. *Innoc. in c. Prudent. de off. leg.*

b Quoties ſtatutum mandatum requirit, toties ratificatio non ſufficit, quia ratificatio re vera non niſi fictum mandatum eſt, cui ſtatuti verba non applicantur.

VII. Cum itaque nulla umquam fuerit renuntiatio tam perverſa, tam præpoſtera, tam juri, & moribus aliena, quàm ea quæ nunc in diſceptationem venit, ut multis jam argumentis planum fecimus: cum Bonifacii Conſtitutio id genus pactorum iis legibus adſtringat, ut pater de ſuis bonis dotem dederit, ut eam filia receperit, ut eâ dote ſe contentam eſſe declaraverit; cum denique his conditionibus, quæ ad ſubſtantiam, & naturam hujus conventionis pertinent, ipſa fuerit renuntiatio deſtituta, quî potuit tot, & tanta vulnera

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

quæ inſecuta eſt ratihabitio, curare, aut quæ ſunt neglecta ſupplere? Quid plura, ſi ea quam ſæpè nominamus, nulla eſt ratihabitio, ſi ab omni forma juris remota, an fortè his malis remedio futura eſt? Quæ in ſe res nec rationem habet ullam, nec æquitatem, quî poterit irritæ, & vitioſæ conventioni vim & robur tribuere, aut quæ malè acta ſunt, corrigere? Hoc itaque loco planum id quoque faciendum, ne ipſam quidem ſibi conſtare ratihabitionem, vel quòd non authore ſponſo à Regina Christianiſſima facta ſit; vel quòd hujus generis conventa ab inſtrumento dotali ſeparata, cùm Romanæ leges, tum Hiſpanorum mores improbent. Sed antequam utrumque demonſtrandum aggredimur, ut res ipſa geſta fuerit, breviter exponendum.

Id quidem ſatis liquet, quæ Ludovicus de Haro habuit mandata, non fuiſſe à Regina ſubſcripta, ac ne dotale quidem inſtrumentum ab ea fuiſſe conſignatum. Quamquam id inter Legatos convenerit, fore ut Sereniſſima Infans ante initum matrimonium duplici tranſactioni, tum renuntiationis, tum excluſionis ſubſcriberet; alterâ quidem ſucceſſiones omnes repudiaret, alterâ Principatus abdicaret; ac nuptiis demum celebratis cùm illa, tum Rex Chriſtianiſſimus renuntiationis, & excluſionis acta ſimul com- VIII.

probarent. Jam quo illa modo perfecta, & confirmata fuerint, videamus.

IX. Ac primùm quidem permirum id videri poſſit, hujus generis conventa, quæcumque illa ſint, quæ à Regina facta dicuntur, nuſquam in Galliis viſa, nec cum Rege Chriſtianiſſimo communicata, nec in dotale inſtrumentum, quod factum omnino oportuit, relata, aut eorum denique perſcriptiones editas fuiſſe. Sed ut minuamus controverſiam, demus id quod vero ſimillimum eſt, ea quidem acta tum à Regina, cum adhuc in Hiſpania verſaretur, expreſſa fuiſſe, & extorta: cum autem eorum quæ geſta ſunt, copia Regi Chriſtianiſſimo facta non fuerit, quo id aſſequemur modo, ut quæ in iis vel omiſſa, vel peccata ſint, oſtendamus? Hoc ſanè ad judicandum facile eſt, nullius illa eſſe momenti, ſeu ante fuerint, ſeu poſt initas nuptias fabricata: cum citra Regis Chriſtianiſſimi authoritatem ſint conſtituta.

X. Atque ut id quod majorem fortaſſis videtur habere dubitationem, quodque ante ſolennes nuptiarum ritus tranſactum fuit, priùs exequamur: illud ſatis conſtat puellam non poſſe poſt initas fœderis nuptiarum conditiones, quicquam tranſigere, quod dotem, vel ſucceſſionum jura, vel alias conventiones imminuat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ni ſponſi accedat authoritas. Confectis quippe, & obſignatis tabulis dotalibus, jam puella ſic eſt in futuri ſponſi poteſtate, ut dos illius, bona, jura denique fixa ſint, & conſtituta, nec ſine illius cui promiſſa eſt, conſenſu mutari, aut moveri ullo pacto poſſint. Jam enim utriuſque juncta ſunt, & penè indiſcreta bona; ubi Sacramentum acceſſerit, tum id nexu indiſſolubili, & animos junget, & corpora. Quid enim ſunt ſponſalia, niſi, ut Juriſconſultus definit, mentio, & repromiſſio nuptiarum futurarum? Quocirca quæ ſubſequuntur nuptiæ vim ſuam in id uſque tempus, quo facta ſunt ſponſalia, retroagunt; atque ex eo die quo inſtrumentum dotale fuit obſignatum, mariti bona jam uxoris ſunt hypothecæ, vel pignoris nomine obligata. Tum enim fœdus nuptiarum quaſi inceptum habetur, cum de pactis dotalibus conventum eſt: atque interjecto tempore opus nuptiarum non abrumpi, aut interpellari, ſed continuatâ ſerie, & velut ſuo quodam itinere ad ſummam progredi videtur. Hinc ſponſi & mariti ſæpè æquantur jura[a]. Quæque ſponſalium tempore donata ſunt, in eadem ſunt cauſa, & conditione, quâ donationes quæ maritum inter & uxorem fiunt[b]. Hinc etiam apud ſacros Codices ſponſi, &

a Lex Julia de fundo dotali pleniùs interpretanda eſt, ut etiam de ſponſo idem juris ſit quàm de marito. *L. 4. D. de fundo dotal.*

b *L. Non ſine. C. De bonis quæ lib.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

mariti ſæpè nomina promiſcuè uſurpantur; & vetuſtiſſimæ Synodi Canones iiſdem pœnis conſtringunt eos qui ſponſas, ac qui nuptas rapuerunt [a]. Ne multa, pactis dotalibus conſtitutis, jam eſt quædam bonorum mutua ſocietas, quam divina Sacramenti vis arctioribus pòſt vinculis adſtringet. Ex quibus id efficitur, nihil puellam poſſe contrahere, nihil paciſci, quod quidem jure ratum ſit, citra ſponſi ſui authoritatem; quæque adeò acta ſunt à Regina Chriſtianiſſima poſt conſtitutas fœderis conventiones, hæc nullius prorſus eſſe momenti.

[a] C. 10. Conc. *Ancyr.*

XI. Quæ quidem ſi obtinemus, an diutiùs erit dubitandum irrita eſſe omnia quæ Regina jam nupta non authore marito tranſegerit? Nulla quippe eſt lex in univerſa Gallia uſu magis, & moribus probata, quàm ea quæ vetat uxorem quicquam ſine mariti authoritate, aut paciſci, aut contrahere; adeo ut quæ acta ſint præter viri conſenſum, omnino reſcindantur. Imo ne uxori quidem ætate grandiori citra viri adhuc minoris authoritatem, etiamſi utriuſque bona diviſa ſint, & ſeparata, licet tranſigere, aut alienare quicquam. Quod ſi ita eſt, ut nuptiis celebratis mulier paternâ domo, gente, patriâ, nomine denique relictis, in manum viri conveniat, & velut in illius ſit mancipio; quòd

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

quòd ſi in aliam ſtirpem, & familiam exeat; palam fit Reginæ ſtatum, conditionem, tranſigendi poteſtatem, acta denique omnia ad leges Gallicas poſt nuptiarum ritus exigi oportuiſſe. Tum quidem in Hiſpania verſabatur, cum ratam habuit renuntiationem: ſed jam Regis Chriſtianiſſimi conjux erat, atque illius ſubjecta legibus. Nam paternæ poteſtatis vinculum Sacramenti vis, quæ locorum intervallis ſepta non tenetur, jam diſſolverat. Non potuit igitur inconſulto Rege, vel tranſigere, vel quæ tranſacta inter Legatos erant, comprobare: contrahendi quippe, aut paciſcendi facultas perſonis, non rebus inſidet, eaque ad leges quibus perſonæ ipſæ tenentur, eſt omnino revocanda. Neque enim id dubium eſt, quin Regina Chriſtianiſſima jam Franciæ jure, & moribus uteretur; in Hiſpania ferè ut hoſpes, ut peregrina, ut in hoſpitio, non ut in patria, aut in domo ſua degebat. Sed perinde hæc diſputamus quaſi dubia eſſent, aut controverſa; aut Hiſpanicæ leges nobis repugnarent; cum tamen ex inſtitutis, & moribus Hiſpaniæ conſtet filiam poſt nuptiarum ritus à paterna poteſtate liberari [a]. Nec verò legem illam principem ab ipſa mundi origine conſtitutam, quâ uxor viro ſubjicitur, aut jus ullum, aut ſcitum populorum, aut Regis decretum poteſt con-

[a] *L. ult. tit. 1. lib. 1. L. 1. tit. 9. lib. 3. L. Fori. L. 47. L. Taur. L. 8. tit. 1. novæ compilationis.*

convellere. Quæ quidem lex non hominum ingeniis excogitata, ſed à Deo ipſo ſancita, ſi vim habet ullam, quî valere poſſint ea quæ rata habuit Regina citra Chriſtianiſſimi Regis authoritatem?

XII. Nec demum Romanæ leges hac in re à Gallicis, aut Hiſpanicis, aut Divina Lege diſſentiunt; nam jure civili pacta ſeorſim, vel à genero, vel à filia, vel à ſocero peractis ſponſalibus facta de iis quæ ad dotem, aut alias fœderis nuptiarum conventiones pertinent, omnino reſcinduntur [a]. Hujus quidem rei exemplum illuſtre extat in Codice Juſtiniani. Privato inſtrumento, & ſeorſim facto vir in gratiam uxoris conſenſerat, ut prædium quod in dotem ſibi collatum fuerat, in dote non eſſet. Hoc tamen nomine à marito id poſſe detineri reſcripſit Imperator: quòd cum ſeparatim id, nec adhibito utriuſque conſenſu actum fuiſſet à marito, neque mutua eſſet, & reciproca obligatio, neutri illud fraudi eſſe oporteret [b]. Et quidem ſi hoc pactorum genus ſuſcipimus, ſi liceat puellæ citra ſponſi conſenſum, aut paciſci, aut contrahere, aut res ſuas temerè, & inconſultâ facilitate diſtrahere, ſumma hinc rerum perturbatio & colluvies futura eſt; quàm facile erit ſequiori ſexui plagas tendere, eumque in fraudem illicere? Plerumque eveniet ut

[a] Cum dos filiæ nomine detur, optimum eſt pactum cum utroque generum facere. *L. 7. D. de pact. dot.*

[b] *L. Dotale. C. De fundo dot.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ut inopem quis præter ſpem ducat, quam locupletem deſpondit: quâ nulla pernicies major fortunis hominum, & connubiorum paci afferri poteſt; id enim æquitatem primùm, & fidem, deinde concordiam, & benevolentiam tollit, nec quicquam magis aut bonis moribus, aut nuptiarum honeſtati, aut Sacramenti demum religioni poteſt eſſe contrarium. Sequitur itaque ut omnis hæc nobis ratio concluſa ſit, hoc omnino fuiſſe conſentaneum ut ſimul, non ſeparatim cùm Rex tum Regina rata haberent quæ inter Legatos convenerant: ſiquidem utriuſque res agebatur, idque dotali inſtrumento cautum & conceptum fuerat. Neque enim id clam fuit Hiſpanici Conſilii Adminiſtris, hujus generis acta non valere ſeparata. Hinc illa juris formula nequaquam ab Hiſpanis tum neglecta fuit, cum Eliſabetha Regina Philippo IV. nupſit: tametſi enim non plurimum eſſet in hac renuntiatione momenti, cum in Gallia filiæ nullo modo poſſint in Regnum ſuccedere. Legatus tamen Hiſpaniæ D. Inigo de Cardenas Regis ſui nomine huic conventioni interfuit, & quod agebatur comprobavit, quò utrimque firma eſſet obligatio. Jam quod eſt huic rei caput, quî potuit Regina Chriſtianiſſima nondum ætate major, nullo authore tranſigere? Neque enim ullam à Rege Chriſtianiſſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

mo accepit poteſtatem. Rex verò Catholicus in rem ſuam, aut liberorum quos ex poſterioribus nuptiis procreavit, author pupillæ eſſe non potuit. Sic enim & ſtipulantis, & recipientis ſimul perſonas induiſſet, quod leges vetant, & ratio ipſa repudiat [a]. E quibus omnibus conficitur, ratihabitionem illam idoneâ authoritate defectam, & à minore quæ non erat contrahendi potens initam, jure ipſo non valere.

a Regula eſt juris civilis in rem ſuam authorem tutorem fieri non poſſe. *L. 1. de auth. & conſenſu tut. & cur.*

XIII. Quid ergo, inquiunt, nonne Rex Chriſtianiſſimus dotale inſtrumentum ſeorſim confirmavit? Id quidem concedimus. Sed eo cavetur inſtrumento futurum ut Sereniſſima Infans renuntiaret. Ne id quidem inficiamur. Ergo ſi quæ à Regina cum in Hiſpaniis verſabatur, facta eſt renuntiatio, eam ſimul Rex Galliarum tacitus quodammodo comprobavit. Quem verò id daturum putant? cum enim authoritas, quæ ad ſubſtantiam cujuſque conventionis, aut contractûs pertinet, omnino defuerit, quî poterit illius vicem ſupplere tacita quædam, & ſubſecuta comprobatio? Neque hîc ullus æquipollentiæ, ut vocant, locus eſſe poteſt, cum renuntiationis origini ea labes inſideat, quæ exuri nullo modo poſſit; cum mariti deſit authoritas, quâ remotâ nihil uxori liceat vel paciſci, vel tranſigere. Quòd ſi enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ſi enim ex illo conſenſu vim omnem ſuam trahit ipſa conventio, cum profectò non ſequi, ſed præire neceſſe eſt: ſecus nihil omnino agi, quando uxor tranſigit, aut renuntiat, cum leges, tum civilis juris Doctores ſummâ conſenſione definiunt [a]. Accedit illud quoque, non editam fuiſſe illam à Regina factam renuntiationem, nec cum Rege Chriſtianiſſimo communicatam; neque is adeo potuit actum ſibi incognitum ſuâ authoritate confirmare. Quod enim quis factum probat, id perſpectum antè, & exploratum habere debet; ita ut is qui ratus habetur contractus, ſit coram exhibendus, ne quis aut fraudi, aut obreptioni locus eſſe poſſit [b]. At quæ facta dicitur à Regina repudiatio, tenebris adhuc manet involuta, & lucem ipſam reformidat. Dotale quidem inſtrumentum de futura renuntiatione cavet: ſed quæ illa ſint jura, quibus Reginam cedere oporteat, omni-

a Si licentia, conſenſus, vel authoritas alicujus requiritur pro forma, & ſolennitate actus, requiritur quòd præcedat licentia & non ſubſequatur, quia requiritur ad legitimandam, & authoriſandam perſonam. *Gomes ad L.60. Taur.*

Quando conſenſus requiritur à principio certo, & determinato tempore pro forma actus, ratificatio poſtea ſuperveniens non ratificat actum. *Felin. cap. Nonnulli. de reſcript.*

Purgatio more non admittitur per ratificationem, quia nullum ſubjectum requirit ratificatio in quod agere poſſit propter præexiſtentiam nullitatis. *Argent. Conſ. Brit. art. 96.*

b Nec ſufficit ad perfectionem ratificationis habere ſcientiam actus in genere, ſed debet habere ratificam ſcientiam in ſpecie etiam omnium qualitatum, aliàs quis non dicitur habere rei ſcientiam. *Gravet. Conſ. 60.*

Ad hoc ut ratificatio ſibi vindicet locum oportet, ut ille qui vult habere ratum, ſciat, & cognoſcat, & comprobet quod factum eſt, aliàs nemo quod ignorat approbat, & ratum habet. *Lancelot.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

no reticet; neque ea tum Regi Chriſtianiſſimo fuerunt explorata, nec diſtinctè, & enucleatè, ut factum oportuit, explicata. Ac ne Rex quidem Galliarum renuntiare ipſe potuiſſet, aut ſponſæ jura, vel delata, vel futura repudiare. Quid ergo? potuitne vim, & robur inutili renuntiationi tribuere? An plus valet confirmatio, quàm id ipſum quod ejus eſt velut fundamentum? Renuntiatio quidem, vel excluſio per ſe jacet, & collabitur, quæ verò eam conſequuntur, quæque illi ſuperſtructa ſunt, contra juris regulas [a] & firma erunt, & ſtabilia? Neque id dubium eſt quin hoc genus confirmationis, aut ratihabitionis in damnum alterius, qui pacto non interceſſerit, comparatum valere non poſſit [b]. Præſertim ſi res ipſa non ad illius qui ratam eam habet, utilitatem referatur, ſed ei contrà maximo ſit detrimento [c]: quod quidem in hac cauſa omnino contingeret. Rex enim Chriſtianiſſimus nullo hinc ſperato emolumento, ſed Hiſpanorum commodis ſerviens renuntiationem, & ſponſæ, & liberis, & toti Galliæ pernicioſam ſuâ authoritate comprobaret.

a Cum principalis cauſa non ſubſiſtit, ne ea quidem quæ ſequuntur, bonum habent. *L.* 29. §. 7. *D. de Reg. Iu.*

b Stante præjudicio tertii minimè hujuſmodi fictio retrotractionem operabitur, *Gomes in L.* 9. *Taur.*

c Si inſulam hæreditariam fulſero, cum te hæredem putarem, tuque ratum habueris: an ſit adverſus te actio; ſed non fore, ait, cum hoc facto meo alter ſit locupletatus, & alterius reipſa geſtum ſit negotium.

XIV. At verò, inquiunt, interpoſita eſt à Rege

Rege Galliarum jurisjurandi religio. Grave id omnino foret, ſi ipſa ratihabitio non eſſet injuſta, & publicæ ſaluti exitioſa: neque enim aliud eſt quo firmari fides poſſit ſanctiùs, quàm jusjurandum. Sed nec illud quoque nos fallit, quod juris canonici authoritate ſuprà oſtendimus, jusjurandum non fuiſſe inſtitutum ut eſſet vinculum iniquitatis [a]. Non enim jus ex injuria, aut bonum facere poteſt ex malo, quæque naturâ ſuâ ſunt injuſta, nullâ interpoſitâ religione mutari poſſunt. Veritatem quippe, bonam fidem, æquitatem, non fraudes, non injurias firmat jusjurandum. Quæ enim futura eſſet illa rerum confuſio, ſi hominum conventa, non ad juſtitiæ, & rationis leges, ſed potiùs ad jurisjurandi interpoſiti formulam, quæ rebus ipſis jam conſtitutis accedit, eſſent revocanda. Id verò ſi accipimus, propè eſt ut aſtutiæ, fraudes, injuriæ, ſcelera permittantur. Hinc optimi quique Imperatores vanam illam ſuperſtitionem, quæ iniquitati aditum muniebat, & legum jura pervertebat, omnino ſuſtulerunt [b].

[a] Juramentum non ob hoc fuit inſtitutum, ut eſſet vinculum iniquitatis. *Cap. inter cætera 22. quæſt. 4. L. Iuris gentium. §. & generaliter. D. de pact.*
L. Non dubium. C. de Leg.
Cap. non eſt oblig. de reg. jur. in ſexto.

[b] Si ex falſis inſtrumentis tranſactiones, vel pactiones initæ fuerint, quamvis jusjurandum de his interpoſitum ſit, etiam civiliter falſo revelato eas retractari præcipimus. *L. 42. C. de tranſact.*

Indubitabilis juris eſt, non numeratæ pecuniæ exceptionem locum habere, & in talibus nominibus, vel fœnoribus, vel aliis cautionibus, quæ etiam Sacramenti habent mentionem, quæ enim differentia eſt in ejuſmodi exceptione ſive jusjurandum poſitum eſt, ſive non, tam in fœneratitiis cautionibus quàm in aliis inſtrumentis, quæ eamdem exceptionem recipiunt. *L. ult. C. de non numer. pec.*

Multa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Multa in hanc ſententiam jure antiquo in Digeſtis ſancita occurrunt [a]. Hiſpanicæ quoque leges graviter admonent ea tempora incidere, cùm pacta, & promiſſa etiam jurejurando firmata, ſervari non oporteat; ut ſi minor annis grave hinc damnum patiatur [b]; ſi quis jurejurando adactus promiſerit fore ut Regis, aut Eccleſiæ bona non repetat [c]. Si Princeps quid receperit non inutile modò, ſed etiam Regno exitiale [d]; ſi jusjurandum publico juri repugnet. Ne illum quidem ſacramenti religione adſtringi docet Montalvus, qui quod in detrimentum rerum ſuarum, vel majoris partis bonorum futurum eſt, juraverit [e]. An illud Davidi datum eſt crimini, quòd Nabalem, uti juraverat, non interfecerit? Quin potiùs Patres eum laudibus efferunt, quòd jusjurandum non impleverit [f]. Ac nemo eſt qui neſciat injuſtas pactiones, vel jurejurando initas, Eccleſiæ authoritate diſſolvi [g].

a *L. Qui juraſſe. D. de jurejur.* *L. fin. D. Qui ſatiſdare cogitur.*

b *L. ult. tit. 11. ſep. part.*

c *L. 28. tit. 11. part. 5.*

d *L. 28. tit. de las juras.*

e Quando enim obſervantia vergit in detrimentum omnium rerum jurantis, vel majoris partis, item ſi ſit præſtitum contra jus publicum. *Gomes ad L. ult. tit. 11. ſept. part. & Montal. eodem.*

f Quod non implevit major pietas fuit. *Aug.*

g In malis promiſſis reſcinde fidem. *C. 5. Conc. Tol.*

Si aliquid fortè non incautiùs jurare contigerit quod obſervatum in pejorem vergat exitum, liberè illud ſalubriori conſilio mutandum meminerimus. *C. 6. eodem.*

Nec enim ſacramentum ad hoc fieri debere, ut injuſta juratio ſuorum bonorum ſit injuſta jurantibus exſpoliatio. *C. inter. cæter. 22. quæſt. 4.*

XV. Ex quibus intelligi poteſt eos qui pernicioſa ſibi, aut injuſta vel jurati promiſerint,

erint, facere promiſſa non teneri; nam ſtultiſſimum eſſet exiſtimare Deum, qui jurisjurandi & teſtis, & judex eſt; qui quod juſtum eſt imperat, vetatque contrarium, fidem jurejurando firmatam ad ea quæ iniqua ſunt, & æternæ legi contraria facienda quodammodo adſtringere. Quid hoc eſt, niſi pervertere fundamenta juſtitiæ, & omnia permiſcere? Quod enim per ſe iniquum, & peſtiferum eſt, interpoſitâ Sacramenti religione juſtum erit, & licitum? Sic totam vitam periculoſam, invidioſam, infeſtamque reddemus.

Quamobrem nec jurisjurandi religio, nec inſecuta confirmatio quod erat in ipſa renuntiationis forma vitii ſanare potuit. Sed aliud quoque malum in eadem hæret clauſula, cui mederi difficillimum eſt. Hiſpanici quippe Conſilii Adminiſtri futuram Principis, qui tum adhuc in vivis erat, ſucceſſionem, ne quid eorum diligentiam effugeret, eâdem clauſulâ complecti voluerunt. In quo quidem magno eos errore lapſos arbitramur, cum nec conſenſus illius Principis, nec authoritas interceſſerit. Atque ut is non potuerit per ætatem ſuum adhibere conſenſum, deeſt tamen ipſi renuntiationi conditio, quæ ad illius naturam omnino pertinet, quæque ab ea divelli nullo mo- XVI.

do

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

do poteſt. Illud enim ita perſpicuum eſt, ut ne diſputatione quidem egeat, nullam valere poſſe renuntiationem, niſi is cujus repudiantur bona, pacto intervenerit: neque ullâ ratione licet de ſucceſſione hominis qui adhuc vivit, citra ejus authoritatem tranſigere. Hoc jus civile [a], hoc communis hominum ſenſus perſuadet. Neque id neceſſe eſt, ut ea juris principia, quæ omnibus in promptu ſunt, & lucent ipſa per ſe, teſtimoniis vel argumentis roboremus. Hoc juris in Hiſpania, ut ubique terrarum obtinere, teſtis eſt omni exceptione major Covarruvias, qui ejuſmodi conventa citra illius, de cujus hæreditate agitur, conſenſum inita, ut plena dedecoris improbat; nec jurisjurandi religione illa firmari ullo pacto poſſe, ut rem apertam, & minimè controverſam tradit [b]. Quid enim? An non flagitium eſt de hominis vivi ſucceſſione paciſci? Illius funus jam votis præcurrere, ejus bona velut proſcribere, hæreditatem jam ſpe præripere, ac demum præter legum, & naturæ jura, alienum vel invito hæredem obtrudere?

a *L. pact. C. de pact.* *L. pactum quod dotali. C. de coll.*

b Certum eſt pactionem futuræ ſucceſſionis factam abſque conſenſu ejus de cujus hæreditate agitur, non confirmari juramento; quia turpe ſit, ac contrarium bonis moribus pactum fieri ſuper viventis hæreditate abſque ejus conſenſu, ſuper. *C. Quamvis. de pact. in ſexto. part.* 2. §. 2 *num.* 8.

Non ambigo, imò fateor planè pactum illud abſque conſenſu ejus cui ſuccedendum eſt, minimè confirmari juramento, quia contrarium ſit bonis moribus. *Idem part.* 3. *n.* 6. *eodem.*

Odioſa

Odioſa igitur illa & inutilis renuntiatio jacet tot rationibus, tot argumentis, ac teſtimoniis everſa, atque id pactum ab omni lege & conſuetudine alienum, quidvis potiùs eſſe quàm legitimam conventionem oſtendimus. Deinceps quod ex quatuor propoſitis tertium fuit, de materia quæ huic iniquæ pactioni ſubjecta eſt, ita diſſeramus, ut remotâ paululum ſubtilitate diſputandi, oculis quodammodo appareat, res ipſas quibus Regina Chriſtianiſſima renuntiavit, ejuſmodi eſſe, ut non aliter, quàm generali conventu Ordinum ritè convocato, aut populorum conſentiente authoritate potuerint abdicari.

I. Regna & Principatus non potuiſſe abdicari.

LOnga eſt oratio, multæque rationes, quibus doceri poſſit Regna hæreditaria jure ſanguinis, vel agnationis, ad gentem, ſeu familiam regnatricem eâ lege deferri, ut ex aliis in alios ſucceſſionum vices tranſmittantur. Nec immutabilis illa, & quodammodo æterna ſubſtitutio, vel decedentium voluntate, vel eorum qui ſuccedunt, conſenſu, aut pactione ullâ tolli poteſt: nec demum iis licet publicæ adminiſtrationis munus ſibi à præpotenti Deo, & patriis legibus impoſitum, propriâ authoritate recuſare: aut arctiſſimum illud ſocietatis Reges inter & ſubditos vinculum diſſolvere. Nam ut alia quæ in hanc ſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ſententiam afferri poſſunt plurima omittamus, id ſanè omnibus perſpicuum eſſe debet, mutuo, & æterno fœdere ex lege Regni cujuſque conditrice, Reges cum ſubditis ita devinciri, ut hi obſequium præſtare, illi populos tueri, atque omni eos injuriâ prohibere teneantur; nec ſubditi poſſint ſine ſcelere legitimi Principis authoritatem defugere; nec viciſſim liceat Principi præter ſubditorum voluntatem jure ſuo cedere, aut in alienos transferre Imperii majeſtatem. Eſt enim utriuſque mutua & reciproca obligatio, ac ſervitus quædam, nec minus Princeps ad imperandum, quàm privati ad obediendum, adſtringitur: ex mutuo conſenſu fœdus illud inter Principes & ſubditos ſancitum fuit, neque id adeo ſolvi poteſt niſi utrorumque etiam conſenſus acceſſerit. Pulcrè quidem Cujacius, *quod lex mihi dedit non tam meâ cauſâ quàm alienâ, fruſtra renuntio.* Nec minùs concinnè illuſtris Brabantiæ Cancellarius negat Ducem renuntiare, aut Ducatus ſui jura imminuere, aut quicquam cum ſuo Principatu conjunctum alienare poſſe: cum ſacræ cujuſque Regni, aut Principatûs leges dominii, vel juris tranſlationem prohibeant. Nam ut lex Julia proſpexit ne dotale prædium maritus obligare, aut vendere, aut ſervitutes ei debitas alienare; aut alias demum ei poſſit imponere. Sic Regis, aut Ducis patri-

Kintſkotius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

patrimonium eſt ferè inſtar dotis à Republica ferendis oneribus conſtitutæ: neque adeo Princeps arbitratu ſuo poteſt vel minimam ſui dominii partem diſtrahere, nedum jura Imperii ſui repudiare. Eſt quippe id proprium munus Principis, intelligere ſe gerere perſonam Reipublicæ ſibi commiſſæ, cujus dignitatem, & decus ſuſtinere debet, non jura divellere.

Quòd ſi leges Pontificiæ vetant ne Epiſcopus ſpiritalis cum Eccleſia ſua conjugii vinculum propriâ authoritate ſolvat: neque olim Romano Proconſuli Magiſtratum liceret abdicare a: profectò nec licet Principi ſubditis inconſultis Imperium ejurare. Cumque inſtar capitis totum Imperii corpus regat, & moderetur, non magis poteſt huic muneri deeſſe, aut populi ſibi commiſſi curam defugere, quàm caput ipſum poſſit membra, quibus naturali ſocietate conjunctum eſt, deſerere. Et certè nihil habet Reſpublica majus, nihil præſtabilius, nihil quod majori indulgentiâ, & benevolentiâ complecti debeat, quàm legitimum Principem, cui publicæ adminiſtrationis munus ab ipſo Deo creditum eſt. Quo igitur animo ferre poteſt, ut ſuo velut capite citra publicam authoritatem orbetur, ac ne in conſilium quidem rei longè maximæ admittatur? Permagni illius refert II.

a Abdicando ſe non amittit Imperium. *L. Legatus. D. de off. Proconſ.*

refert rationes, & momenta expendere, quibus impulſus Princeps Imperium ejurare, & aliò transferre meditatur; an levitate quadam animi, aut rerum ignoratione deceptus, an aliorum factione, & fraude circumventus; an metu potiùs, aut pudore, aut alia animi perturbatione permotus, quàm certo judicio, & conſtantiâ abdicet Principatum. Poſtremò Reipublicæ intereſt proſpicere ne optimo Principe orbata, deteriori, aut minùs idoneo ſubjiciatur [a]. Summa enim poteſtas ex iis eſt rebus, quæ non aliter quàm naſcendi ſorte ex aliis in alios dimanant, niſi fortè id fiat conſenſu populorum.

[a] Negotium Regni eſt negotium univerſitatis, & ideo non poteſt Rex de Regno diſponere ſine conſenſu majoris partis nobilium regni. *Card. Zarab. Conſ.* 37.

III. Hoc juris cum ubique terrarum, tum maximè in Hiſpania, & Belgio ſemper obtinuit. Hinc Berengaria quondam Regina conventum Ordinum Vallis-Oleti coëgit, ut ex eorum ſententia Regiam poteſtatem ejuraret, eamque in Ferdinandum filium conferret. Sic Carolus V. Imperator Comitiis Ordinum Bruxellas antè evocatis, atque iis coram excuſatâ ætatis jam ingraveſcentis, & affecti corporis infirmitate, Belgii Principatus abdicavit. Cum Henricus olim Dux Brabantiæ Joanni fratri, qui natu minor erat, jus, poſſeſſionemque ſui Ducatûs tradere in animum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

animum induxiſſet, non Ordinum modò ſed etiam Imperatoris conſenſum, & authoritatem neceſſariam eſſe judicavit: neque Imperator abdicationem illam antè ratam eſſe voluit, quàm ipſe rem penitus, cauſamque cognoſſet.

Sed quid in re notiſſima utimur teſtibus, vel exemplis? cum nemo ignoret nihil publicæ ſaluti, aut Regum poteſtati perniciosius ſtatui poſſe, quàm Principis arbitrio relinquere, ut contra ſacras Regni cujuſque leges, contra naturæ jura, & inſtituta Majorum, quem volet ex liberis ad ſummum evehat Imperium, aut Regnum ad libidinem partiatur, aut quod indigniſſimum eſt, Regalem poteſtatem ad alienos interpoſito renuntiationis pacto tranſmittat. Quid aliud agit Conſilium Hiſpanicum? Quid illa ſibi vult excluſio, quâ Regis Catholici filia non modò omni Principatu, ſed etiam ſpe omni ſucceſſionis in paterna Regna dejicitur, quàm ut Regnorum evertantur jura, & quod Principes à Majoribus Imperium accepêre, id poſteris non prodant? Quòd ſi enim valet illa renuntiatio, nihil eſt cauſæ cur virilis ſoboles excludi itidem non poſſit, cur minor majori non anteponatur. Nec quicquam obſtat ſexuum differentia, quominus ut Principum filiæ, ſic liberi throno dejiciantur. Nam in- IV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

terſit inter viros & fœminas, quòd illi in eadem gradus propinquitate ſint honore ſuperiores; eodem tamen jure, iiſdem omnino legibus ad Regni gubernacula vocantur. Quòd ſi illas licet excludere, eadem utique ratio in Regios liberos valet: diſcrimen quippe, ordo non jus facit. Quò igitur pertinet illa renuntiatio, niſi ut ſtirps Regia extrudatur, & alieni in Regnum invadant? Nec ulla tamen eſt in Hiſpania lex aut ſanctior, aut magis uſu, & moribus conſignata, quàm ea quæ Principum liberos ad Regnum vocat, non decedentium judicio, aut voluntate, aut teſtamento, aut conventione, ſed lege naturæ, & ſanguinis jure. Nec Principi licet ſolvere hanc perpetui fideicommiſſi legem in domo regnatrice firmatam, quæ jus omne, & Regni poſſeſſionem ad legitimum ſucceſſorem tranſmittit, ubi morte Principis aditus ad illud fideicommiſſum reſeratur.

V. Nota res eſt, & ab Hiſpanis Scriptoribus mandata monumentis, nullâ unquam ratione eam gentem adduci potuiſſe, ut ab hoc jure publico deſciſceret. Cum Ferdinandus olim Caſtellæ, & Legionis Rex, ſic inter ſuos liberos Regna partiri ſtatuiſſet, ut D. Sanctio ſtirpis maximo Caſtellæ, D. Alphonſo Legionis, D. Garciæ natu minimo Galœciæ Regnum relinqueret; filias quoque ſuas
aliquot

aliquot civitatibus donaſſet; id omne irritum fuit, ac plus valuit legum authoritas, aut patriæ conſuetudo, quàm Regis voluntas. Itaque Sanctius jus ſuum in Regna retinuit, ac penes eum fuit trium Regnorum integra, & indiſcreta poſſeſſio. Nec diſſimilem exitum habuit Alphonſi teſtamentum, quo Legionis Regnum, Ferdinando excluſo, inter duas filias diviſerat: id enim ſummo Ordinum conſenſu reſciſſum eſt, ac Ferdinandus jus ſuum obtinuit. Necdum ducenti anni effluxêre, cum in celeberrimo Procerum cœtu Ferdinandus Arragoniæ Rex, qui Iſabellam Hiſpaniæ Reginam duxerat, jura ſucceſſionum movere, & Legem Salicam in Francia uſurpatam, inducere in Hiſpanias nequicquam tentavit. Nam Procerum cœtus graviſſimè interceſſit: nec potentiſſimi Regis Majeſtas, nec tacitus Reginæ conſenſus, nec quorumdam ſtudia potuerunt ſacras Regni leges, & inveteratam conſuetudinem immutare. Sed quid plura, aut vetera exempla quærimus? Cum Patrum noſtrorum memoriâ Philippus Hiſpaniæ Rex circa annum 1598. (ut Meterenus ſcribit) animo agitaſſet Principi Iſabellæ Provincias Belgii jure beneficiario poſſidendas tradere, vehementer à Belgis reclamatum eſt: negarunt ſe inſtar ſervorum mancipari, aut pretio æſtimari, aut arbitratu demum Prin-

cipis diſtrahi poſſe. Scribit Sandovalius Epiſcopus Pompeiopoleos anno quingenteſimo decimo ſexto ſupra milleſimum tres præcipuos Regii Conſilii Adminiſtros, & ſpectatiſſimæ fidei accitos fuiſſe à Ferdinando, cum in gravem is morbum incidiſſet, ut quid ſibi faciendum eſſet in re maximi momenti edocerent; ſe teſtamento quod Burgis ſcripſerat, caviſſe ut Ferdinandus Princeps in Caſtellæ, & Arragoniæ Regna ſuccederet, quòd is moribus Hiſpanicis eſſet, & inſtitutis excultus; ac ſubinde vereretur, ne Carolus Hiſpaniarum adminiſtratione neglectâ, ſtudium omne ſuum, & animum aliò intenderet. Illi ex fide ſua, & religione eſſe duxerunt, ut Regem ab inſtituto revocarent, ac magnopere ei authores fuêre, ne jus Regni ſanctum, auguſtumque violaret: negarunt Regiæ ſucceſſionis conſtitutum ordinem, & vetuſtate roboratum perverti poſſe. Paruit eorum conſilio Ferdinandus, poſteriori teſtamento priores tabulas induxit, & Carolum Regnorum hæredem juxta patrias leges inſtituit. Hæc quidem inſtituta, legeſque Regnorum, aut Principatuum ſanctas eſſe oportere, pulcrè, ut alios mittamus, intellexit olim Joannes Galeatius Dux Mediolanenſis, qui in ipſo vitæ exitu tres liberos coram adduci juſſit, eoſque aliquantò contemplatus, in eas erupit voces,

quibus

quibus eam legem quâ Joannem natu maximum tardo, & retuſo ingenio Ducatus ſui hæredem facere tenebatur, ut duram, & acerbam incuſabat, quòd Philippus Maria ætate proximus erectâ indole, & excellenti ingenio ad Imperium natus videretur. Id ſcilicet acutum hominem, & prudentem non fallebat, quòd ubi agitur de jure ſucceſſionis in Regnum, vel Principatum, nihil liceat patris voluntati, aut judicio adverſus naturæ leges, & inſtituta Majorum: cum ſummum Imperium non hæreditatis nomine, ſed ſanguinis jure deferatur. Jus quippe Regni, quod ſæpe dicendum eſt, à natura ipſa, aut legibus, non ab hominum arbitrio proficiſcitur; naſcuntur Principes, non inſtituuntur.

Maneat igitur id quod negari non poteſt, quodque omnium penè gentium conſenſu fuit comprobatum, Regni aut Imperii jura mutari non poſſe, nec legitimum ſucceſſorem ullâ conventione ſummoveri. Ac ne plura, & aliena proferamus, uno quidem, & illuſtri utemur exemplo, quod apud Butkenum doctum hominem, & diligentem Annalium ſcriptorem legimus. Cum Carolus Imperator anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſexto in Brabantiam veniſſet, Venſelinus, & uxor ejus Joanna, ad quam Ducatus Brabantinus pertinebat, Impe- VI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ratorem adière, quîcum eâ conditione pacti ſunt, ut ſi abſque liberis ex eo connubio decederent, jus omne in Brabantiæ Ducatum, & alios Principatus ad potiſſimum ſtirpis Lucemburgicæ hæredem, excluſâ Margaretâ Joannæ Ducis ſorore, & Flandriæ Comite, perveniret. Ea quidem conventio tum authoritate, & conſenſu Ordinum firmata eſt. Cum interjectis aliquot annis illi ſine prole diem obiiſſent: qui tum erat Lucemburgi Princeps ex conventione hæreditatem petit. Huic Ordines ipſi, qui antè conſenſerant, vehementer obſiſtunt; negant conſtitutum ſucceſſionis ordinem, niſi ſi quæ ſubeſt gravior cauſa, aut Principis voluntate, aut populorum ſtudiis, aut Ordinum ſuffragiis perturbari, aut eos demum excludi poſſe, qui & patriis legibus, & Majorum inſtitutis ad capeſſendum Imperium vocati ſunt. Itaque Antonio Burgundioni Margaretæ nepoti, fremente licet, & fruſtrà obnitente Lucemburgicâ domo, Brabantini Ducatûs data eſt poſſeſſio, & quæ perperam acta fuerant, reſciſſa.

VII. Fracta igitur manet, & convicta renuntiatio, quæ naturæ ipſi, quæ juri publico, quæ divinæ Providentiæ repugnat. Nihil enim magis eſt contra naturam, quàm eum qui ſanguinis jure proximus eſt, quique non hæredis titulo, ſed le-

gis

gis authoritate in Principatum vocatur, legitimâ ſucceſſione depelli; nec jus illud agnationis, quod à naturæ fonte deſcendit, repudiari ullâ conventione poteſt, aut alienari, aut in alios transferri, aut ab ipſa cui cohæret perſona divelli [a]. Jam quis ignorat jus Regni, aut Imperii publicum eſſe, & ad ſubditorum utilitatem comparatum? Reges quippe, & Principes qui hominibus præeſſent, non Regum, ſed populorum cauſâ fuerunt à Deo conſtituti. Cùm igitur jus illud publicum ſit, nullo id pacto everti, nullâ renuntiatione extingui poteſt. Neque enim per naturam fas eſt, aut per leges licet Regni, vel Principatûs ſucceſſorem legitimum excludere [b]. An illud denique contemnendum, magnam hinc religioni injuriam fieri, atque ex iis pactis gravi eam vulnere percelli, quòd jus Regni ex earum rerum genere non ſit, quæ in nundinationem, & commercia veniunt, quæque haberi quæſtui, & pretio poſſunt æſtimari. Ea quippe jura non ex varia hominum commutabilique ratione, aut inconſtantia pendent, ſed inſtar Sacerdotii quodammodo ſancta ſunt, cum cæleſti vocatione, & divina ordinatione conjuncta. Videtur enim eſſe conjugalis quædam ſocietas Regem inter & ſubditos, ac velut ſpiritale, & arctiſſimum vinculum Principem cum Imperio ſuo conciliat, neque id ſine nefario ſcele-

a *L. Iura ſanguinis. de Reg. jur. L. Ius agnationis. de pact. L. Tutela. de cap. minut.*

b *L. Ius publicum. de pact. L. ult. de ſuis & legitimis heredibus.*

re diſſolvitur. Cum Regalis poteſtas, aut ſummum Imperium ſit tamquam radius quidam cæleſtis, qui à ſupremo Numine in terras defluit, & ſacris perſonis quas huic muneri præfecit Deus, ita cohæret, ut ab iis divelli nullo modo queat. Nam ſui motûs ratam habet, & immutabilem rationem, non in fortunæ temeritate, aut humanis conſiliis poſitam: principii ſui imitatur conſtantiam; hinc ſuam ducit originem, hinc ſtabilitatem, ordinem, & vim omnem conſequitur. Imago enim quædam eſt, & adumbrata ſimilitudo illius poteſtatis quâ cælum, terræque reguntur, quæque Deus ipſe eſt.

VIII. Hinc meritò Galliæ, Italiæ, Hiſpaniæ, & totius penè orbis Doctores magnâ conſenſione negant ſummo Imperio renuntiari ullo pacto poſſe. Nec neceſſe eſt omnium proferre teſtimonia; ex infinitis propè pauca duntaxat excerpamus. Id præter cæteros Palaëſius demonſtrat, jura ſucceſſionum in Regnum, aut conſtitutum ordinem nullatenus poſſe à Rege perturbari: cum ne id quidem liceat in Majoratûs dignitate, cujus exemplar eſt Regalis poteſtas, quæ inter Majoratus primo loco numeratur [a]. Eadem eſt Butrigarii [b],

a Falſiſſimum eſt quòd Reges poſſint hæredem & ſucceſſorem in Regno eligere quem velint, omiſſo filio primogenito, vel alio legitimo ſucceſſore, quod eſt contra omnia jura, & conſuetudinem omnium nationum inviolabiliter obſervatam. *Part.* 2. *q.* 1. *num.* 57 *&* 58.

b *In proœmium Codicis.*

Bar-

Bartoli[a], Vaſquii[b], Covarruviæ [c] ſententia. Conſentiunt & Juriſprudentiæ canonicæ periti; qui omnes hac ratione, quam non ſemel attigimus, ducti videntur: quòd nihil ſit in hominum vita majus Imperio; idque ad communem hominum utilitatem, & ſalutem maximè pertineat, ut intelligant ſummi Imperii jus ad Deum ipſum, qui lege ſanguinis, & naturæ, cujus idem author eſt, & moderator, coronas, ſceptraque diſpenſat, potiùs referri oportere, quàm unius hominis conſilio, & libidini permittere. Cum perturbationum æſtus, inconſtantia, aliorum commoda, & privatæ utilitates Principis animum facilè inflectere, tranſverſum agere, ac depravare poſſint. Hoc itaque effectum ſit, & demonſtratum, illam renuntiationem neque à Rege Catholico exigi, nec à Regina Chriſt. jure fieri potuiſſe: neque enim illi fas erat perturbare Regiæ ſucceſſionis ordinem; naturæ, & Regni conſtituta jura evertere; neque hæc abdicare Principatus, aut ſummi Imperii jura potuit alienare.

a *In L. Legatus. D. de off. Proconſ.*

b *Illuſtr. controv. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 8.

c Rex non poteſt variare leges, & conditiones primogenituræ in præjudicium ſucceſſorum, nec facere quòd alius pro alio ſuccedat.

I. Renuntiatio ex adjectis clauſulis exploditur.

Et ſanè tot vitiis fœdata eſt illa renuntiatio, ut ea vix enumerari queant. Non enim modò forma excluſionis ab omni juſtitia remota eſt, non ſolùm in materia, & rebus ipſis, quæ huic conventioni ſubjectæ ſunt, vehementer erratum fuit; ſed ut ea conventio omni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ex parte laboraret, his quoque munita eſt clauſulis, quas ne probabili quidem defenſione Hiſpani tueri poſſint. Quem enim non moveat illa excluſionis adjecta clauſula, quâ Sereniſſima Infans cum poſteris omnibus ſic ab omni Hiſpaniarum Principatu ejicitur, ut ſi fortè ſtirps Regia defecerit, cùm Regna, tum Principatus ad alienos transferantur. In hæc quippe verba concepta eſt illa excluſionis formula. Sereniſſimam Infantem D. Mariam Thereſiam cum liberis, qui ex ea naſcentur, utriuſvis ſexûs ii fuerint, & quocumque cognationis gradu ad eam referantur, non poſſe ſuccedere in Regna, Principatus, dominia quæ ſunt ditionis Hiſpanicæ: etiamſi Regia ſoboles virilis ſexûs, & legitimi ſucceſſores defecerint. Quo enim cumque modo res ſe habeant, cùm illa, tum ejus hæredes omni jure ſucceſſionis dejiciuntur: quicquid aut leges, aut conſtitutiones, aut conſuetudines, aut jura in contrarium ſtatuerint: his enim omnibus hâc clauſulâ omnino derogatur.

II. An dubitamus quin tam immanis, & inuſitata clauſula ab Hiſpanici Conſilii cupiditate, & ambitione magis, quàm à libera Regis Catholici voluntate profecta fuerit? Quàm enim hoc non credibile, Regem optimum ſic omnem & humanitatis, & naturæ ſenſum exuiſſe, ut

filiæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

filiæ, ſtirpi ſuæ, nepotibus alienos anteponeret? An quicquam patri aut jucundius, aut charius eſſe poteſt, quàm liberis bona ſua, fortunaſque relinquere? Jam ubi agitur de Regni ſucceſſione, tum multò eſt acrior ſenſus ille naturæ; tum pater omni ſtudio, curâ, induſtriâ, cogitatione enititur, ut acceptum à Majoribus ſummi Imperii decus in poſteros conferat. Nullâ quidem re homines ad Deum propiùs accedunt, quam Imperii dignitate; neque uſquam divinæ Majeſtatis fulgor magis elucet, quàm in Regali poteſtate. Nam quæ in cæteris hominibus inſculpta eſt Creatoris effigies, hæc in Regibus longè ſplendidior videtur. Quid ergo? potuitne Rex Catholicus manu ſuâ delere formam illam, & velut Divinitatis characterem ſuo ſanguini impreſſum? Scelerata quidem illa Eteoclis apud Euripidem ſententia ab antiquis Philoſophis fuit judicata, quâ pater jus omne violandum eſſe putat, dum Regnum in domum ſuam, ac liberos transferat. Capitalis eſt, & pernicioſa illa regnandi cupiditas; ſed tamen cum animi magnitudine facilè conjungitur; atque haud ſcio an magis humana eſſet, ac ferenda illa animi elatio, quàm huic adverſa patris voluntas, qui ſtirpe ſuâ throno dejectâ, divino, & humano jure neglecto, alienos in Regni faſtigium eveheret. Si quid atrocius pater in proprium

ſanguinem ſcripſerit, aut teſtamento ca-verit, lex jubet ut manum potiùs, quàm mentem patris lapſam errore judicemus; nec quid ab eo factum, ſed quid ei faciendum fuerit ponderemus [a]. Hinc magnâ ſapientiâ ſtatuit Imperator, ut ſi quid gravius in nepotes ſuos avus teſtamento ſanxerit, quod à natura ipſa, & parentis ſenſu abhorreat, in meliorem partem, quoad fieri poſſit, ducatur conjectura, quòd voluntatem teſtatoris ex naturali æquitate magis quàm ex ſcripto interpretari oporteat [b]. Nam, ut ſcitè gloſſa, id pietati Chriſtianæ videtur alienum, excluſis liberis quibuſcum etiam vivi noſtra partimur bona, quique nobis maximè cordi eſſe debent, alienos in ſpem hæreditatis vocare [c]. Graviſſimè quidem Covarruvias immanitatem cujuſdam patris reprehendit, cui cum unica eſſet filia, eam tamen omni ſucceſſioni coëgit renuntiare. Id verò negat vir doctiſſimus, eâ conventione ſtari oportere, etiamſi pater illam teſtamento firmaverit: cum filiæ ſuæ tranſverſarios hæredes citra ſummam injuriam non potuerit anteponere [d]. Quo igitur animo excepiſſet illam clauſulam, quâ pater, filiâ & nepotibus excluſis, bona ſua non conſanguineis

a *L. Cum acutiſſimi.C.de fideic.*

b Ne videatur teſtator alienas ſucceſſiones propriis anteponere. *L. eadem. C. de fideic.*

c Impius enim videtur pater qui ſuorum curam non habet.

d Eo caſu minimè renuntiatio nocebit, imò filia dimittetur omnino ab inteſtato contra voluntatem patris: nam etiamſi in ea pactione de hæredibus fœminis & maſculis intelligendum ſit, non tamen eſt præſumendum paciſcentes de cæteris intellexiſſe, imò tantùm de his qui fuerint deſcendentes à patre, cùm alii maximâ cum injuriâ præferantur filiæ.

modò,

modò, ſed etiam alienis reliquiſſet. Quâ Antiſtes ille prudentiſſimus objurgatione, aut quo potiùs convitio patrem illum à tanto errore, & perverſitate conatus eſſet avertere? Quid, ſi perſonarum conditio, rerum quæ abdicantur natura, Principatus, Regna, Imperia quæ ſubſtitutionis cujuſdam perpetuæ, & fideicommiſſi lege, non patris voluntate, aut teſtamento manant ad poſteros, quæque nec mancipi ſunt, nec in rationem contractûs veniunt, graviſſimo huic viro propoſita eſſent, & excluſionis clauſula omnis explicata, quo is fulmine tam iniquam pactionem, quæ Regnorum fundamenta convellit, perculiſſet?

Scribit Nicetas penè in ipſo Hiſtoriæ ſuæ limine, quòd cum Alexius Comnenus jam affectâ ætate ab uxore vehementer rogaretur ut genero potiùs, quàm filio Imperium relinqueret, is acriter uxorem reprehendit, quòd rem periniquam, & ab omni humanitate alienam ſuadere non deſiſteret. Non, inquit, perſpicis, non ſentis quod in me ſcelus admittam, ſi contra naturæ leges, & mores patrios repudiato filio, qui huic non eſt impar muneri, Imperii faſces genero tradiderim. Quòd ſi tam pravæ voluntati tuæ obſequar, futurum eſt ut in omnium reprehenſiones incurram, toti orbi ludibrium debeam, atque in- III.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

juſtitiæ primùm, tum ſtultitiæ omnium judicio condemner a. Hoc quidem tum Imperator uxori, ſed Conſilio Hiſpanico prædictum putemus. Id enim videtur cujuſdam immanitatis omnem humanitatem repellentis, ut pater ſtirpem ſuam, ac liberos deſerat, arctiſſimum naturæ, & ſanguinis vinculum diſſolvat, & quos in ſpem Regni genuit, excludat, alienos demum hæredes adſciſcat. Longè quidem ſatiùs foret tam abſurdam delere clauſulam, quàm rationibus eam expugnare. Quid enim loci argumentis eſſe poteſt, ubi naturæ vox tam clara eſt, tam publica, ubi ſanguinis jura tam ſunt manifeſta, tam altè omnium pectoribus infixa, ut exuri ex animis nullo modo poſſint.

a O mulier, & Imperii, & lecti mei particeps, num tandem perſuadere mihi, & conari deſines, ut ordo à majoribus laudabiliter inſtitutus perturbetur, ſed potiùs mecum conſiderato an ullus unquam ex ſuperioribus Romanorum Imperatoribus cum filium idoneum Imperio haberet, eo neglecto, generum prætulerit, & num toti Romano Imperio riſui ſim futurus, & pro inſano habendus, ſi in deliberatione ſucceſſionis germano filio repudiato, Macedonem in ſolio collocaro.

IV. Sed nihil eſt omnium quod magis huic renuntiationis clauſulæ repugnet, quàm ratio ipſa ex qua profecta eſt. Quod enim ortum dedit renuntiationi, quod in mores noſtros eam invexit, id illi eſt adverſarium maximè. Non aliâ quippe ratione id pacti genus inductum eſt quàm ut familiarum incolumitati proſpectum foret, ne crebrâ diviſione bona dilaberentur: hanc cauſam ſi ſuſtuleris, in parentum jura liberi ex æquo ſuccedent; jus nullum ſtirpis maximo præcipuum futurum eſt;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

nullâ renuntiatione filiæ paternis bonis excludentur ; quæque natura ſine ullo diſcrimine omnibus liberis æquè conceſſit, uni præ altero non impertiet. Cum itaque hæc una fuerit ratio politica, cur præter jus publicum, & naturalem æquitatem pacta renuntiationum uſu recepta ſint, & probata, ut communi familiarum utilitati, & ſplendori, cum aliqua filiarum injuria conſuleretur : quî poteſt ſibi ea conſtare ratio, ſi pater hâc poteſtate ſibi permiſſâ ad tuendum ſuæ familiæ decus, ſic abutatur, ut eandem in ſuæ domûs perniciem convertat, & interpoſito renuntiationis pacto, ſtirpem ſuam ejiciat, quò alienos hæredes inſtituat? Quid hoc aliud eſt, quàm familiæ ſuæ exitium moliri, ac renuntiationis ipſius vim omnem, & naturam convellere? Nam eò ſpectat, in eum eſt uſum inſtituta, ut domûs, & generis ſplendor conſervetur, non in ſtirpis ruinam eſt comparata. Quòd ſi enim ejectis liberis alieni in hæreditatem vocentur, jam non renuntiatio, ſed exhæredatio dicenda eſt. Quare ante hoc ſæculum nulla umquam eſt facta renuntiatio, quæ aliorum quàm fratrum lucro cederet: quòd ſi ad ſorores etiam pertineret, vel hoc ipſo irrita erat, & nulla conventio. Unius quippe generis, aut nominis, aut familiæ, non ſororum, nedum alienorum ducta eſt ratio. Atque ea conſtans eſt, & communis Doctorum

etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

etiam Hiſpanorum ſententia, Saliceti, Guidonis Papæ, Gaſpardi, Bacciæ, & Covarruviæ, ut Antonium Fabrum, Argentreum, & alios ex noſtris omittamus a. Hoc jure omnes utuntur Nationes, neque unquam ab eo diſceſſum eſt; ſed omiſſâ communi causâ ad noſtram veniamus.

a In L. pact. dotale. C. de pact. q. 192. Tract. de non melior. dot. fil. c. 6. In art. 224. Conſ. Brit. tit. de do.

V. Non potuit ſanè in mentem venire Sereniſſimæ Infanti ut jura ſua, & Principatus omnes jam delatos ſorori ſuæ juniori concederet. Non potuit quidem Patri non obſequi, aut Regis Imperium detrectare; ſed neque publicum jus toto orbe receptum, & naturæ leges potuit perfringere. Cum enim ſanguinis viâ ſucceſſiones ab aliis in alios velut prono alveo fluant, non magis deduci aliò poſſunt, aut deflecti, quàm profluentis amnis inhiberi vis, aut curſus in aliam partem contorqueri. Terris quidem irrigandis derivari interdum aquæ ſolent, ſed nulla humani ingenii ſolertia, aut operoſus hominum labor id poteſt conſequi, ut magni fluminis impetus in diverſas partes inflectatur. Id ſi fortè hominum temeritas moliatur, tum natura velut indignata torrentium, aut exundantium aquarum vi oppoſitas moles disjicit. Eadem penè eſt ſucceſſionum ratio: nam uſitatâ ſanguinis viâ velut ſuo quodam itinere, & alveo labuntur, nec huma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

humanis conſiliis poteſt ordo ille à natura conſtitutus everti. Quæ in contrarium parant, quæ moliuntur Principes ipſe plerumque eventus damnat; quæque à liberis exigunt pacta, ceu quidam cometæ, aut ſidera ominis peſſimi, & naturæ infeſta Imperiorum ſæpe ruinam minantur. Neque enim fieri poteſt ut quem natura, & patriæ leges ad ſceptrum vocant, is jus ſuum non perſequatur, aut tam humili, & abjecto ſit animo, ut contemni ſe, & alienos in patrimonium ſuum irrumpere patiatur; ut periniquâ conventione ſtare malit, quàm dignitatem ſuam tueri, & contumeliam ſibi illatam propulſare.

VI. Quàm injuſta ſit, & naturæ inimica illa clauſula, quæ Regni jura ſtirpi Regiæ adimit, eaque in alienos confert, ſatis demonſtratum arbitramur: quæ hanc excipit, non naturam modò, ſed etiam religionem videtur, & matrimonii dignitatem oppugnare. Hujus itaque clauſulæ ea ſumma eſt, Reginam Chriſtianiſſimam Principatus, ſucceſſionum jura, & ſpes omnes abdicare, niſi fortè & vidua, & liberis orbata fuerit: tum enim ſua jura omnino ſalva, & integra retinebit. An ferenda eſt tam inhumana conventio? Quæ matrimonii cauſa, qui finis, quæ vota, niſi proles ipſa, aut liberorum educatio? Quid eſt dignius in quo omnis parentum dili-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

diligentia, labor, induſtria conſumatur? Nepotibus etiam in longum tempus futuris avi proſpiciunt: hinc ſubſtitutiones, & alia juris ſubſidia ſunt excogitata, quibus poſteris ſuis cavere parentes ſolent. Nihil denique natura hominum generi carius, nihil jucundius eſſe voluit. Id munus cæleſte eſt, & divinæ indulgentiæ beneficium, ſpes parentum, familiarum decus, Reipublicæ robur. Ergone fœcunditas quæ ſemper in honore fuit, huic connubio, quo non aliud eſt in orbe ſplendidius, uni Reginæ Chriſtianiſſimæ calamitoſa, & acerba futura eſt? Quòd ſi primogenitum Eccleſiæ filium Regina pepererit, hic priuſquam uſurâ hujus lucis fruatur, exhæres erit, maternâ ſucceſſione movebitur, & quod indignius eſt, matri ipſi erit exitioſa fœcunditas: nam aucta prole, jura ſua, & ſpes Regni ſimul amittet. Contra ſterilitatis præmium eam manet, bonorum ſuorum, & Principatuum illibata poſſeſſio. Quàm perverſa eſt illa, & præpoſtera Hiſpanorum prudentia, quâ Rex Chriſtianiſſimus pater eſſe non poteſt, quin ſponſa exhæredetur; nec Reginæ filius naſci, quin & mater, & filius avitis Regnis ſpolientur a. Nihil profectò leges ipſæ æquè reſpuunt atque illas clauſulas, quæ nuptia-

a Ipſo jure reſcinditur quod fraudandæ legis gratiâ eſſet adſcriptum, legem enim utilem Reipublicæ, ſobolis ſcilicet procreandæ causâ latam, adjuvandam eſſe interpretatione *L. 8. §. Si quis. D. de condit. inſt.*

rum

rum libertati, & matrimonii dignitati repugnant. Si quis eâ conditione mulieri quid legaverit, dum ea non nubat: etiamſi nupſerit, legatum ab ea peti poſſe leges decernunt[a]. Infinita ſunt hujus generis exempla[b]: ſed in re tam uſitata ſatis eſt monuiſſe nullo jure, nullis moribus, ſterilitatis, aut orbitatis præmium mulieribus umquam fuiſſe propoſitum. Atque hujuſmodi conditiones, quæ nuptiarum votum, aut liberorum procreationem impedire poſſunt, pietati Chriſtianæ, bonis moribus, imo & Philoſophorum decretis omnino repugnant[c]. Sæpe incidunt tempora cum bona repetuntur ubi hæredes, aut legatarii ſine liberis deceſſerint. At numquam conditio contraria recurrit, « ut ſi quis liberos ſuſceperit, hæreditatem, « aut legatum reddere teneatur: inhoneſtum quippe viſum eſt vinculo pœnæ « matrimonia obſtringi[d].

a Quoties ſub conditione mulieri legatur ſi non nupſerit, & ejuſdem conditio ſit ut Titio reſtituat ſi nubat, commodè ſtatuitur, et ſi nupſerit, legatum eam petere poſſe, & non eſſe cogendam fideicommiſſum præſtare. *L. Quoties. D. de cond. & dem. Et L. Sed ſi hoc. §. Cum vir uxori. D. eodem.*

b *L. Adigere. D. de jure Patron.*

c Diſplicuit ſententia, non enim voto mulieris opponi tam ominoſa interpretatio debuit. *L. Cum tale. D. de condit. & demonſtr.*

d *L. 134. D. de verb. oblig.*

VII.

Illud itaque portenti ſimile videtur, inſtrumento dotali cavere ut mater exhæres futura ſit, ſi liberis augeatur: cum pacta dotalia ad liberorum utilitatem comparentur, eò ſpectent nuptiæ, in eam ſpem jungantur connubia: nulli ante hæc tempora hujuſmodi conventio in

men-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

mentem venerat. Ne illorum quidem qui nuptias damnabant, eò provecta eſt audacia, ut matrem omni hæreditate pellerent, quòd liberos genuiſſet. Eam tamen vim habet hæc clauſula, eò tendit ut Regiæ Principi patrimonium adimatur, ſi ſit prole felix. Memoriæ quidem traditum eſt Reginas olim Imperio mulctatas fuiſſe, quòd ſteriles eſſent, quòd ſpe ſobolis majeſtatem Regni non ſuſtinerent: ſed nullo dum exemplo proditum fuit, ut Principi fœcunditas fraudi eſſet, & ob eam cauſam throno dejiceretur, quòd liberos procreaſſet: cum ſceptra ipſa, & Imperia ſtirpe regiâ, ac liberis firmentur. Ergo Regina ex omnibus una eſt, cui dignitas matris, aut filii decus ſit detrimento. Neque enim perſona diſplicet, ſed matris honos, aut prolis ſplendor apud Hiſpanos offendit. Nihil haberet negotii, aut controverſiæ ſi ſterilis foret: at fœcunda ſine ſummo fortunarum omnium diſpendio eſſe nequit. Divina indulgentia, vis Sacramenti, natura ipſa in cauſa ſunt cur patriis bonis exuatur; quæ omnibus glorioſa eſt, & decora, uni Reginæ eſt exitioſa fœcunditas; quæ ad ſucceſſiones dare ſolet aditum, huic omnes eripit, quæque eſt votorum ſumma, hîc ſola eſt exhæredationis ratio.

VIII. Sed iſta omittamus, quæ alio jam loco attigimus. Non potuit ſanè Hiſpaniæ Con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Conſilium majore errore labi, quàm cùm eâ clauſulâ inſtrumentum dotale fœdavit. Non enim modò illa eſt iniqua, naturæ, juri, moribus, religioni denique adverſa conditio: ſed etiam abſurda planè, & iis difficultatibus involuta, quæ nullâ ratione poſſint expediri. Quærere enim libet, quis in Regnum Hiſpanicum jus habuiſſet, ſi Rex Catholicus ſine filio ſuperſtite antè obiiſſet, quàm Regina Chriſtianiſſima ſobolem procreaſſet. An fortè interim dubia, incerta, & velut penſilis Regni Hiſpanici eſſet futura poſſeſſio? An interea temporis Sereniſſima Iñfans ex ſecundis nuptiis nata fiduciario, aut precario jure regnaret? An eâ lege tantùm retineret Imperium, ut Reginæ Chriſtianiſſimæ id cederet, ſi fortè hæc marito, & liberis orbaretur? Negabunt forſitan id eveniſſe, & in eo perſtabunt; ſed nos illis velut tormenta quædam adhibemus, cum ab iis quid tum futurum fuiſſet, exquirimus. Potuit enim id accidere, tumque ſumma ex illa conditione eſſet ſecuta confuſio. Verum ex iſta difficultate emerſerint: jam meditentur quid futurum ſit, Regi Catholico ſi quid humanitùs acciderit, ſi nullâ relictâ prole, & nondum adultum fata interceperint. Quid reſpondeant, obſcurum non eſt: Junior quidem Infans in Regnum ſuccedet. At ſi fortè is caſus quem clauſula deſignat, inciderit;

ſi Re-

ſi Regina, quod abſit, & marito, & liberis ſuperfuerit, quem exitum conditio tum eſt habitura? An qui Infantem duxit Imperator, ſtatim Hiſpanici regni deponet inſignia, eaque Reginæ Chriſtianiſſimæ eſt traditurus? Mirum ſi Regni dulcedine illectus, jam acceptâ fide à ſubditis, tam facilè cedat Hiſpaniâ. Quouſque ergo Hiſpanici Regni jus ſuſpenſum & dubium futurum eſt, aut quando certâ ſede conſiſtet? Nihil quidem ab iis conſtitui poteſt quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem: utrum enim Regina liberorum ſuperſtes futura ſit, necne, in occulto eſt: ergo ſi Rex Catholicus è vita diſceſſerit, precaria tantùm, non fixa erit Hiſpanici Regni poſſeſſio? Quorſum illæ ambages, & ſinuoſæ conventiones, quæ fundamenta juſtitiæ, & religionis pervertunt, quæ nihil quàm diſcordias poſſunt, & regnorum inter ſe nunquam intermoritura afferre diſſidia? Cur Principem omni patrimonio, & avitâ hæreditate excluditis? Quot mater liberos enixa fuerit, tot ſuæ exhæredationis cauſas dabit. O infelicem Reginæ ſortem! quoquò ſe verterit, in maximo eam luctu verſari neceſſe eſt. Utrum enim ſterilitatem ſuam deploret, quâ Galliæ Regem dare prohibetur, an ſibi fatalem, & acerbam fœcunditatem incuſet, quâ regni Hiſpanici ſucceſſione dejicitur? Da hoſtem immanitate barbarum, & elatum victoriâ;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

riâ; hanc ille nunquam captivæ Principi legem dicet, nec belli jure, aut armorum licentiâ ferox, tam duram, tam injuſtam conditionem imperabit. Quid ergo, quam infenſus hoſtis legem Principi dare non poſſit, hanc pater, tutor, Rex filiæ, pupillæ, & ſubditæ imponet? Quæ enim vis belli majore ruinâ Chriſtianiſſimam Reginam percelleret, quàm hæc periniqua conditio, quæ non fortunas modò, non jura, ſed ſpem quoque omnem illi præripit. Vel nos fugit ratio, vel id pacti genus ſimilius eſt redemptionis pretio, quàm dotali conventioni. Crudelis ſanè politica, & ſæva Hiſpanici Conſilii prudentia, quæ ſacri connubii Chriſtiano orbi ſalutaris fœcunditatem tam immani jacturâ mulctat. An diſſimulamus quo loco eſſent res Hiſpanicæ, quàm acciſæ, & penè depoſitæ vires, cum lux pacis oborta, cum fœdus ſancitum, cum utriuſque hujus ſideris felix conjunctio procellas disjecit, & placidam Europæ quietem afflavit? Hiſpani tamen quaſi hoc eſſet illis exitiale conjugium, ſic futuram ex eo prolem inſectantur, ac penè proſcribunt.

IX. Nemo quidem eſt cui id ſtatim non occurrat, potuiſſe Reginam Chriſtianiſſimam cum patre ſuo Rege Catholico velut expoſtulare, & ex illo requirere, cur eo authore fieret id connubium, cujus fœcun-

fœcunditatem adeo extimeſceret; ſin ipſi cordi eſſent hæ nuptiæ, ſi exoptata futura ſoboles, cur ab ea tam graves pœnas expeteret, cur eam tam diro feriret vulnere, cur nepotes ſuos omni ſucceſſione excluderet; cur ſanguinis jura, & naturæ leges violaret? At nullus eſt ampliùs his querelis locus; & quod Reginæ Chriſtianiſſimæ dolendum, jam non poteſt à patre ſuo contendere, ut quæ perperam acta ſunt, reſcindantur? Tametſi nemo ferè ignorat illam excluſionem non à Regis Catholici voluntate, ſed magis ab Hiſpanici Conſilii injuria profectam fuiſſe. Sed utcumque ea ſint, nihil eſt quod Regina Chriſtianiſſima ex pietate magis, aut Chriſtiana religione, aut æquitatis lege ſibi agendum putet, quàm ut jus ſuum orbi univerſo probet; ac renuntiationis injuſtitiam ſic in omnium animis defigat, ut eam cernere oculis quodammodo videantur. Non enim dubitamus quin iſta conventio, ut acerba, & indigna eſt, ſic omnibus appareat: cum eam & perverſam, & injuſtam tot rationibus, tot argumentis oſtenſum fuerit, ut nullâ vel probabili defenſione niti poſſit. Illud quoque facilè nobis perſuademus, quòd ſi Hiſpanici Conſilii Proceres paulò attentiùs cogitaſſent, quàm periculoſa, & ſaluti publicæ exitioſa foret illa clauſula; quàm turpis inceptu, quàm fœda exitu, quàm mo-

ribus

tribus, inſtitutis, & publico juri contraria; nunquam in eos laqueos ſe induiſſent, quorum ex nullo ſeſe expedire queant. Cum igitur illa renuntiatio detractis larvis, & ementitis nudata coloribus, velut in conſpectu omnium poſita ſit, & planè convicta; quæque ab Hiſpanis allatæ ſunt cauſæ, & falſa juſtitiæ ſimulacra funditùs everſa fuerint; cum in ipſa dotis conſtitutione fraudem, in ſolutione deceptionem ineſſe demonſtratum ſit; cum Legati poteſtatem de excluſione paciſcendi non acceperint; cum ex adjectis clauſulis altera naturæ, altera religionis jura perrumpat; cum Rex Catholicus alienos potiùs quàm nepotes, & proprium ſanguinem in Regni hæreditatem vocet; cum denique ſterilitas præmio donetur, matrimonii Sacramento contumelia, & fœcunditati nuptiarum pœna, ac dedecus inuratur; quibus tandem poteſt ſtare præſidiis tam abſurda, nec rationi modò, ſed etiam ſibi ipſi adverſa conventio? Quid ſi perſonarum conditionem acrioribus oculis intueamur? Hinc Regis majeſtas, patris, & tutoris authoritas occurrit; illinc filia, ſubdita, pupilla, quæ unam ſibi obſequii laudem eſſe putat; quæ ſummum Regis defugere imperium non poteſt, nec voluntati patris obſiſtere; cui jura ſua ſunt penitus incognita, nec eſt quiſquam unde illa poſſit co-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

gnoſcere, aut conſilium capere. An alia quærimus argumenta, quibus hoc renunciationis pactum expugnetur? cum id Romanæ leges prohibeant; ac ne ipſis quidem conditionibus, quas Bonifacii Conſtitutio requirit, muniatur; cum Hiſpaniarum juri municipali, & inſtitutis adverſetur; cum illud Juriſconſultiſſimi improbent; cum denique Sacrorum Codicum authoritati repugnet. Quem enim fugit Reges à præpotenti Deo, ut præcipuos providentiæ adminiſtros, & velut Divinæ poteſtatis conſortes eligi; jura ſucceſſionum in Règna, & Principatus conſtitui; atque in Sacris Scripturis ita deſcribi, ut moveri ea, vel mutari nullâ ratione poſſint [a].

a *Deuteron. c. 17.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

REGINÆ CHRISTIANISSIMÆ
jura diſtinctè, & ſeparatim explicantur.

I. Quæ in hac parte diſputationis ſint explicanda.

VENTUM eſt ad alteram diſputationis noſtræ partem, quæ jura Reginæ Chriſtianiſſimæ complectitur; quæque haud dubiè minùs laboris, ac contentionis eſſet habitura, niſi adverſus Hiſpanici Conſilii non injuſtitiam magis, quàm pertinaciam nobis eſſet decertandum. Profligatâ quippe, & funditus everſâ renuntiationis clauſulâ, jam munitus videbatur aditus ad ea ſtabilienda jura, quæ nec dubia ſunt, nec obſcura, quæque à multis retrò ſæculis inveteratâ conſuetudine, & patriis moribus continentur. Sed Hiſpani videntur jam huic iniquæ conventioni aliquantò diffidere, & aliâ nobiſcum ratione pugnare. Negant Regnorum, aut Principatuum jura, ut privatas poſſeſſiones, ad leges municipales referri oportere, aut ullam earum habendam eſſe rationem. Sic adverſus legum authoritatem armati, quos Principatus Galliarum Reginæ natura conceſſit, huic eripere moliuntur. Sed non com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

mittendum nobis eſt, ut qui ſanguinis jura tam conſtanter adverſus Hiſpanorum injurias defendimus, vim legum, & conſuetudinum ab eorum argutiis non vindicemus. Hæc itaque pars altera diſputationis noſtræ in tres partes & ipſa diſcedet. Prima in legum municipalium defenſione, & firmanda conſuetudinum authoritate verſabitur: altera Reginæ jura ſeorſim, & enucleatè perſequetur: Tertia denique cùm rationibus, tum exemplis demonſtrabit Regem Catholicum ab iis legibus, tot ſæculorum uſu probatis, non potuiſſe diſcedere.

II. Atque ut ab ea parte quæ primo loco eſt propoſita, ducamus exordium; illud interim admonendum, hoc inter legem, ac conſuetudinem eſſe diſcriminis, quòd illa diffuſa latiùs, & majori authoritate munita videatur; cum ab ipſo orta ſit Principe, qui ſanciendi leges habet poteſtatem, nec tenetur eas ad aliorum referre conſilia. Hinc plerumque evenit ut commutatâ ſubditorum utilitate, leges quoque mutentur & ad æquitatis rationem, quæ minùs antè proviſa fuit, inflectantur. At conſuetudo conſtantior eſt, & arctioribus longè vinculis ſubditos conſtringit. Eſt enim lex quædam à populo expetita, à Principe conceſſa, utriuſque voluntate, & conſenſu firmata. Quare

eam

eam vim habet quam ſtipulatio, aut conventio, aut contractus omni ex parte perfectus: adeo ut cùm Princeps, tum ſubditi quæ mutuo velut fœdere ſanxerunt, firma eſſe velint, & in perpetuum rata. Neque idcirco Regibus condendi leges, aut abrogandi facultatem denegamus; non enim id nos fallit, eam poteſtatem ſic cum ſummo Imperio eſſe conjunctam, ut inter Regiæ majeſtatis inſignia vel præcipuo loco habeatur. Fatemur illud quoque, non eadem eſſe ubique in Regnum, aut Principatum ſuccedendi jura: ſic Lex Salica in Galliis, jus deligendi Principis in Polonia, & quibuſdam aliis Regnis uſurpatur. Ne illud quidem ambigimus, quin Principatus, Regna, & ſumma quæque Imperia quaſdam habeant ſibi proprias dotes, quæ ab iis nullâ ratione ſeparantur. Hoc enim cuique Imperio proprium eſt, ut alienari, & dividi non poſſit, ut liberum ſit, & ſolutum, nec ulli humanæ poteſtati ſubjectum. Sed neque hoc loco neceſſe eſt de Principum in ſanciendis, vel abrogandis legibus authoritate diſputare; id enim eſt omnino ab hac quæſtione ſejunctum. Ac ne regalis quidem poteſtas ut vivit, ut viget in Principe, ut ſubditos regit imperio, huc pertinet; ſed de Principatu nunc agimus, ut ſucceſſio quædam eſt, ut hæreditas, & vacua quodammodo poſſeſſio, quæ ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

uno Principe in alium commeat, quæque adeo nihil agit, nihil molitur, nec jura conſtituit, ſed certis ipſa eſt adſtricta legibus, & communi jure continetur. Ne illud quidem in diſceptationem venit, an jura ſucceſſionum in Principatus, tum ad leges ſunt municipales, & cujuſque gentis conſuetudines referenda, cum alia in Regno, vel Provincia obtinet conſuetudo. Neque enim dubium eſt, quin illæ conſuetudines vetuſtate ipſâ confirmatæ, & tempore immenſo uſurpatæ, ceu ſacræ Leges colendæ ſint, & nullo pacto violandæ. Iſta, inquam, omnia ultro concedimus, quæque à cauſa ſejuncta ſunt, in iis diutiùs immorari nihil neceſſe eſt.

III. Itaque ſic conſtituenda hæc eſt controverſia, ut de ſumma poteſtate, aut Principatu non agamus, niſi ut hæreditas quædam eſt, & Principis morte ad alium mox deferenda ſucceſſio. Idque nunc in contentionem venit, an alio jure quàm municipali, aut ipſius conſuetudinis in ea Provincia uſitatæ, Principatus ad legitimum ſucceſſorem tum perveniat, cùm nulla huic contraria lex ſancita fuit, nulla eſt conſuetudo quæ à communi jure diſſideat.

IV. Ac primum illud nobis vel Hiſpanorum aſperrimi concedent, ut privatorum, ſic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ſic Principum familias ex jure cujuſque Regni, aut Provinciæ municipali ad ſucceſſiones vocari; atque eoſdem in iis ſpectari cognationum & propinquitatum gradus. Hinc Principum liberi aliis excluſis in Regna ſuccedunt; hinc ſexu, vel ætate potiores aliis anteponuntur; nec ex alio fonte, & tutelæ, & agnationum ſtatus, & jura quæque hæreditaria manant. Quid plura? nemo vel Princeps, vel ſubditus hæreditatem adit, niſi patriæ conſuetudinis authoritate ſubnixus. Quis ignorat ſucceſſiones quà Principum, quà privatorum ſanguinis jure contineri; eaſque vel rectâ ſerie ad poſteros, vel ad tranſverſarios hæredes pervenire; omnes denique eodem jure, ut cognatione ſunt proximi, delatas adire hæreditates? Quæris quid ſit cur filius in patris Regnum ſuccedat, cur nothi excludantur; cur ii qui recto ordine deſcendunt tranſverſariis; gradu propiores remotioribus, viri fœminis anteponantur; cur liberi patres referant, & eodem cum illis jure cenſeantur? Horum quidem omnium non alia ratio ſuccurrit, quàm id moribus, & inſtitutis Majorum ſancitum, ac municipali jure, quod Principes juxta & ſubditos complectitur, ita eſſe conſtitutum.

V. Quocirca vehementer errant Hiſpani, qui conſuetudines, aut patrios mores

nihil ad Principatum pertinere arbitrantur. Cum enim de ſummo Imperio contenditur, non aliud eſt quod ſequi poſſimus, niſi aut legem, ſi quæ ſit de jure Imperii deſcripta, aut conſuetudines à finitimis Nationibus uſurpatas, aut leges demum municipales: nec aliud cuncta rimanti ſuccurrit legum genus, ad quod ambiguum Regni jus referri poſſit. Quòd ſi lege quâdam Regiâ, aut inolitâ conſuetudine qui ſint ad Regni, vel Principatûs ſucceſſionem vocandi conſtitutum fuerit; dubitari non poteſt quin hujus legis, aut conſuetudinis valere debeat authoritas: cum omnes fateantur Majorum inſtituta ſancta eſſe, & tamquam publica patrimonia retineri oportere. Hinc Franci nunquam à Salica Lege, quæ fœminas excludit, receſſerunt. Suus enim cuique Genti mos, ſuum cuique Regno jus eſt conſervandum.

VI. Sed neque jura quæ apud finitimas circum nationes obtinent, ad eam rem dijudicandam momenti quicquam afferre poſſunt. Regna enim quæque libera ſunt, nec alienis legibus devinciuntur; neque adeo jus Regni à vicinis populis transferri debet, ſed à municipali lege, aut patriâ conſuetudine illud eſt omnino repetendum. Hoc enim unum ex tribus propoſitis reliquum eſt; hoc æquitatis ratio, communis omnium popu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

populorum uſus, & vetuſtatis exempla perſuadent. Leges quippe municipales ſummi Imperii decus, & ſplendorem tuentur; quæ ſubditorum in Principes officia conſtare, quæ ab iis præſtari debeant obſequia, cenſus, tributa, & Principum jura præſcribunt; nec aliud magis Principem cum ſubditis mutuâ benevolentiâ, & indulgentiâ conjungit. Hoc vinculum eſt illius ſocietatis, quæ vim, & robur Imperii maximè continet. His denique legibus Eccleſiæ jura, & minorum facultates in tuto collocantur; his Principum dominia firmantur, & partes Reipublicæ omnes hoc communi jure, aut conſuetudine, quaſi mente quadam, & conſilio reguntur.

Illud itaque effectum ſit, quòd cum nulla eſt de jure Regni, aut Principatûs deſcripta lex, & compoſita, in conſuetudine ipſa, aut lege municipali, quæ authoritatem habet vetuſtatis, jus omne verſetur. Hac quippe conſuetudinis lege ſublata ſummum Imperium cœco caſu, & volubilitate fortunæ regatur neceſſe eſt, idque ſine ordine, & quaſi ſine rectore fluctuabit. Turbulentum omnino, & temerarium, & periculoſum hoc futurum eſt, ſi apud homines, qui conſilio, & ratione utuntur, qui legibus gubernantur, nullum ſit jus Regni certum, nulla ſuccedendi lex, nulla ineundi Principatûs, VII.

 aut

aut Reipublicæ gerendæ ratio; ſed omnia fortunæ judicio, & inconſtantiæ permittantur. Quem enim fugit Principum dignitatem, quò ſublimior eſt, & cæteris præſtantior, hòc majoribus invidiæ ventis perflari, majoribus adeo egere præſidiis, & firmioribus velut eam fundamentis niti oportere? nec demum diuturna eſſe poſſunt Imperia, niſi eorum certa ſint, & ſtabilia jura.

VIII. Jam Principatus omnes electione ſolent, aut hæreditate, aut ſucceſſione deferri. Ac primorum quidem jus omne, & ratio unâ electionis lege continetur. Quæ autem hæreditaria ſunt, nihil aliud videntur quàm patrimonia quædam, quæque adeo ut aliæ hæreditates, ad patrias conſuetudines referuntur. At quæ jure ſucceſſionis ex aliis in alios manant, tametſi non ſunt uniuſmodi, nec unâ eâdemque ratione deferuntur, multaque habent velut ornamenta, aut inſignia quibus ab aliis utique dominiis ſeparantur: (hoc enim omnibus commune eſt, quòd nec mancipari, nec dividi poſſint, nec alieno demum ſubjaceant imperio) in pleriſque tamen cum feudis, aut reliquis dominiis conveniunt. Nam, ut Philoſophis placet, hominem eſſe naturæ opus omni ex parte abſolutum, & ratione quâ viget, reliquis præſtare animantibus, cum quibus ſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ſenſum habet, vitamque communem: quamquam vis illa quâ differit, argumentatur, colligit, quâ belluis antecellit, non eum utique ab infirmitate corporis exſolvit, neque obſtat quominus non alimentis modò, ſed etiam multis egeat ad vitam præſidiis, atque eadem penè ſubeat corporis incommoda, quæ animantes rationis expertes. Ita quidem magna eſt ſummæ dignitatis excellentia, multa, ut diximus, eximia, & præclara jura ſibi vindicat, quibus ab aliis dominiis ſejungitur: at ſi Principatus conſiderare volumus ut gentilitia quædam, & hæreditaria bona, iiſdem omnino ſucceſſionum legibus, quibus feuda, aut aliæ hæreditates devinciuntur.

Duo quippe inſunt in Principatu, quæ non confuſâ, ſed diſtinctâ quâdam ratione ſpectari debent; feudum videlicet, & ſumma huic adjuncta dignitas: quid utrique ſeorſim conveniat, quid ſummo Imperio ut feudum eſt, quid illi ut cæteris dignitate præcellit, tribuendum ſit, diligenter intuendum, ne fortè labamur errore ſermonis, & nominis authoritas velut fulgore quodam mentis aciem perſtringat, cum tamen vox ipſa rei naturam non mutet. Quamobrem id facilè concedimus, feuda, aut dominia cum ſummis Imperiis conjuncta, præclarâ quâdam eſſe IX.

conditione, & reliquis longè eſſe præſtantiora; adeo ut vim ipſam, & eximias Principatûs dotes in ſe quodammodo traxiſſe videantur. Sunt enim libera, nulli obnoxia, ab omni alienatione, aut diviſione tuta. Sed illud quoque fatendum eſt, novæ illius velut formæ, aut ſplendoris acceſſione nihil mutari fundum, qui ut materies quædam huic dignitati ſubſternitur; neque adeo nativas feudi dotes extingui, aut illius demum everti naturam, quâ veſtituræ legibus, & patriæ conſuetudini adſtringitur. Ille quippe dignitatis apex eſt inſtar cujuſdam ornamenti, vel accidentis, quod ſubſtantiam rei cui inſidet, non deſtruit, ſed ſpeciem ei, & decorem addit. Quot enumerari poſſunt feuda cum ſummo Imperio conjuncta, quæ in ſua origine fuerunt ab eo ſeparata? Imo nullum eſt, quod naturâ ſuâ, & ab ipſo fonte optimâ illâ fuerit conditione inſtitutum. Hoc utique juris, hanc prærogativam politica quædam ratio in noſtros mores induxit, ut alia quæque dominia huic velut Principi ſubjiciantur. Sed non continuò à patriis id legibus, quibus antè erat obnoxium, liberatur. Hinc præſtantiſſimi juris Interpretes præclarè nos admonent longè aliam eſſe Principis, aliam Principatûs, aut dominii rationem: illius poteſtas è cælo defluxit; nullis ea quàm juſtitiæ, aut rationis finibus continetur.

Cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Cum autem dominium, aut feudum Principatûs, vel ſummi Imperii voce ſignamus, tum nomine quidem abuti videmur, & mentis cogitatione rem depingere, quæ eſſe nullo modo poteſt, ut poſſeſſio, ut fundus iners, & inanimis rationem habeat imperii, quod vim quamdam excellentem in actione, motu, & authoritate poſitam intellectu ſuo complectitur.

Quocirca nihil dici potuit obtuſius, quàm nihil licere conſuetudini, aut patriis moribus in vacuam Principis morte poſſeſſionem, quæque Principatus ſolet appellari. Quaſi fundus ipſe patriis legibus non teneatur, atque ab eo divelli poſſint jura vel onera, quæ ſunt à natura profecta. Undecumque enim Principatus fluxerit, ſeu poſt conſtitutas leges, & firmatam conſuetudinem ſumma rerum à populo delata ad Principem fuerit; ſeu potiùs antè extiterit Princeps, quàm jus ullum, aut lex municipalis eſſet compoſita; nunquam ab eo jure publicè recepto eſt diſcedendum. Quòd ſi enim Princeps, jam roboratâ conſuetudine & ſtabilitis legibus, ad ſummi Imperii decus vocatus à populo fuerit, id quidem non aliâ conditione factum credimus, quàm ut patrias leges à Majoribus traditas conſervaret; cumque his legibus ſubeſſet populus, penes quem rerum ſumma antè X.

 fuit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

fuit, æquum videtur Principem, qui in populi vicem ſucceſſit, iiſdem quoque legibus, quarum cuſtos ipſe eſt, conſtringi. Jam ſi antè fuerit Princeps, quàm leges ullæ, aut municipalia jura eſſent conſtituta; tum quoque nihil magis è dignitate ſua is facturus eſt, quàm ut ſe patriis legibus, & publico juri ſubjiciat. Tum enim non aliis, ſed ſibi ipſi, & juſtitiæ ſubdetur: cum id juris non aliunde natum ſit, quàm à Principe, nec ex alio fonte conſuetudo illa, quàm à regnatrice domo manaverit. Rex quippe, aut Princeps in familia ſua jura ſucceſſionum primus deſcripſit, quæ nobiles primùm, tum plebeii arripuêre, & hanc velut formam poſtea ſecuti ſunt. Ita enim eſt comparatum, ut omnes penè Principum imitatores exiſtant. Hinc adeo jus gentilitium in feuda ſuccedendi ortum eſt, hinc alia pleraque jura fluxerunt. Quodque longo, & inveterato uſu probatum eſt, id conſuetudinis nomen obtinuit; non quòd omnis conſuetudo originem ſuam duxerit à ſubditis, qui quaſdam ſibi leges præſcripſerint, quibus Principem quoque adſtringerent: ſed potiùs ipſa conſuetudo ducta eſt à Principis domo, atque hinc velut à capite in populum univerſum permanavit, ut eâdem lege quæ mens eſt, animus, conſilium civitatis, totum corpus regetur. Poſtquam id juris vetuſtate confir-

ma-

matum fuit, tum in Principem juxta, & ſubditos ejus valuit authoritas: tametſi, ut diximus, originem ſuam à Principatu duxerit.

XI. Cum autem una ſit dominatrix familia, & innumerabiles propè ſubditorum, nihil mirum eſt ſi ex his quaquaverſùs diffuſis uberior quàm ex domo Principis ſuppetat exemplorum copia, & frequentiores in iis caſus incidant, quibus ſucceſſionum jura diſtinctiùs explicentur. Cum in regnatrice gente, quæ una eſt, nec tanta exemplorum varietas, nec tam multiplices ſuccedendi rationes poſſint occurrere, quæ etiam temporum ſæpè obſcuritate manent involutæ. Quamobrem in principali domo plerumque minùs expreſſa conſuetudinis apparent veſtigia, quæ in moribus populi latè diffuſi ſunt apertiora: tametſi ubique eadem ſunt jura rivulis, non fontibus deducta.

XII. Ac ne alia quæramus exempla, dubitare non poſſumus quin eæ dignitates, quæ in Hiſpania Majoratus dicuntur, à Regali poteſtate fluxerint, uti Doctores omnes Hiſpani conſentiunt; iiſdem quoque ſucceſſionum legibus continentur, ut lex 2. titulo 5. 2. partis decernit. Hinc Molina inter Hiſpanos Doctores nobilis in eo tractatu quem de Ma-

Majoratibus conſcripſit, ut certum, & exploratum docet Majoratûs dignitatem ad Regiæ poteſtatis formam, & exemplum fuiſſe conſtitutam; eadem utriſque jura ſucceſſionum eſſe deſcripta, ac denique Regnum Hiſpaniæ omnium Majoratuum caput exiſtere [a]. Huic ſuccinit Joannes Gutieres, dum negat alias eſſe in Majoratus, & Regnum ſuccedendi leges, aut caput alio ſpiritu quàm membra vegetari [b]. Cum iis ſentit, ut alios omittamus, Covarruvias [c]. Atque in hoc ſumma eſt inter ejus Nationis authores conſenſio.

a Ipſum Hiſpaniarum Regnum veriſſimum Majoratum eſſe, ac præciſum ordinem primogenituræ. Hoc autem adeo verum eſt, ut ſecurè, ac confidenter dici poſſit, non ſolùm Hiſpaniarum Regnum verum Majoratum eſſe; Imo Regnum ipſum eſſe caput omnium Hiſpanorum primogeniorum, ab eoque cætera primogenia, tanquam à capite derivari, ſuccedendique rationem accipere, adeo ut ſi de ſuccedendi ordine in Hiſpaniæ Majoratibus contendatur, ea lis ſit ſecundum leges ad Regni ſucceſſionem inſtitutas decidenda. *L.* 1. *cap.* 2. *num.* 10.

b Quamvis enim hæc lex loquitur in ſucceſſione Regni, ipſius tamen diſpoſitio locum habet & ſervanda erit in ſucceſſione cujuſcumque Majoratus particularis Hiſpaniæ, quia non licet membra à capite diſcedere. *Canon. quæſt. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 58 *&* 59.

c *Variarum reſol. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 8.

XIII. Sed quâ potiùs utemur quàm Hiſpanici Conſilii authoritate? cum jura ſucceſſionum in Regna, vel Principatus, ad patrias leges & conſuetudines referri oportere, ſuâ confeſſione comprobarit. Quid enim opus fuit illâ ſolenni derogatione, ſi hujus generis bona ſint à municipali jure ſoluta, ac libera? Quorſum tam exquiſitis verbis, ac tantâ reli-

religione cavêre Hiſpanici Conſilii Proceres, ne quid excluſioni ulla obeſſet, aut fraudi eſſet conſuetudo? Quòd ſi enim nulla ſit conſuetudinum authoritas, ſi ſummum Imperium his legibus non teneatur, cur tam ſollicitè ex his vinculis, quibus non eſt alligatum, id expedire moliuntur? Inutilis quidem eſt illa derogatio, ſi nulla antè fuit obligatio. Nonne perridiculum id eſſet, ſi major annis privato contractu minorum privilegiis derogaret? Si paterfamilias Senatuſconſulti Macedoniani, quod filiosfamilias tantùm complectitur, exceptioni renuntiaret; ſi maritus ſibi abjudicaret beneficium Velleianum, quod in gratiam mulierum fuit comparatum? Cum itaque non aliò ſpectet iſta derogatio, quàm ut vis, & effectus legis inhibeatur, palam fit quòd ſublatâ derogatione, lex vim ſuam, & authoritatem obtineat. Quid ergo? an fortè imprudentiâ lapſum eſt Hiſpaniæ Conſilium, cum hanc derogationis clauſulam intexuit? Quî potuit ignorare non alio, quàm ipſius conſuetudinis jure communi unamquamque uti nationem; atque hanc inſtar animæ in corpus univerſum cujuſque gentis diffundi? Adeo ut permirum videatur, quî venire in mentem ulli homini potuerit, ut jus Regni, aut Principatûs, publico jure, aut conſuetudine recepta non dirigi contenderet: præſertim
ubi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ubi de jure ſucceſſionis in Regnum, vel ſummum dominatum nihil aliud fuit lege, aut uſu, aut traditione conſtitutum. Nec ferè quicquam notius eſt, aut omnium gentium, quæ municipali jure utuntur, conſenſu magis comprobatum, quàm feudorum nativas dotes, & velut affectiones ſic illis inſidêre, ut etiam mutatâ poſſeſſione ab iis feudis divelli nullâ ratione poſſint. Reales quippe ſunt, ut loquuntur, ac fundi, non perſonæ conditionem, & naturam conſequuntur.

XIV. Quòd ſi conſuetudine, aut municipali jure civitas quæque, & Imperium tamquam mente, & animo gubernatur; ſi hujus authoritate jus ſuum quiſque retinet, bona vel à parentibus relicta, vel labore parta poſſidet, cur caput ipſum, cur Princeps eodem velut ſpiritu, eodem conſilio, atque iiſdem motibus non agatur; non ſecus atque intelligentiæ, uti nonnullis videtur Philoſophis, cæleſtium corporum motrices communi motu unà abripiuntur. Sua quidem ſunt, ut ſæpè diximus, cuique Imperio propria, & ab aliis diſcreta jura; quædam ſic Regibus adhæreſcunt, ut in alios conferri non poſſint; quo loco habentur Regum patrimonia, quæ ab ipſa Corona divelli nullo modo queunt. At bona reliqua, & prædia æquo

ii jure

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

i jure cum ſubditis poſſident. Hinc illa bonorum quæ Principibus mancipio ſunt, à Juriſperitis uſurpata diſtinctio, quâ quædam patrimonii nomine, quædam privato jure detinent, omnium penè gentium, & ætatum conſenſum meruit. Eâdem quoque ratione ut Principes, aut privati agere ſolent, & contrahere. Quocirca Regale dominium cum Corona conjunctum habeat ſua jura ab aliis bonis ſeparata: ſed cur privata quæque Regis prædia, aut dominia eadem non ſint conditione, & iiſdem omnino legibus, quibus ſubditorum bona non teneantur? Nec vis illa præcellens ſummi Imperii res ipſas à communi lege eximit; ut mens quæ corpori præeſt, id à communi corporum imbecillitate non vindicat.

Quæ igitur Princeps ut ſummi Imperii compos molitur; ut cum ſancienda ſunt fœdera, cum indicenda bella, cum ſtatus univerſi Regni conſtituendus, tum nullâ videtur conſuetudine, aut municipali jure conſtrictus: at ſi prædia emere, aut vendere, ſi legata capere, ſi hæreditates adire, aut aliis relinquere, ſi jungere connubia, ſi res, rationeſque contrahere voluerit, tum æquo jure, & quaſi privatus tranſigere, aut paciſci, non pro imperio agere videbitur: quæque acta fuerint, XV.

hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

hæc ad leges municipales omnino erunt referenda. Hinc civili jure quæ imperfecto teſtamento legata Imperatori fuerunt, ea non poteſt vindicare [a]. Sic inofficioſi teſtamenti exceptione adverſus Imperatorem, ut adverſus privatos uti licet [b]. Neque is poteſt lege in hæreditatem agere, cum ad eum fuit ſolâ pollicitatione delata [c]. Ac leges demum Falcidia, Trebelliana, & Voconia ad Imperatorem, & ſubditos æquè pertinent [d].

a Ex imperfecto teſtamento legata, vel fideicommiſſa Imperatorem vindicare inverecundum eſt. *L. 13. dig. de leg. 3.*
b *L. Papinianus. §. Imperator. D. de inoff. teſt.*
c *L. ultimâ. D. qui teſtamentum facere poſſunt.*
d *L. 4. C. ad leg. Falcid.*

XVI. Sed ne ab ea quam tractamus cauſa longiùs abeamus; Principum, ut privatorum bona jure municipali, & patriis legibus contineri, cùm aliorum Doctorum, tum maximè Hiſpanorum authoritate demonſtremus. Ex iis Albertus Brunnus Aſtenſis ſtatuta, ſeu patrios mores vim habere contractûs, iiſque Principem juxtà, & ſubditos teneri exiſtimat [e]. Huic accedit Guillelmus Monsferratenſis natione Catalaunus, qui in conſtituendo jure Regni, aut Principatûs potiorem eſſe putat conſuetudinis, quàm Romani, vel communis juris authoritatem; quòd ea ſit velut conventio quædam ex mutuo Principis, & ſubditorum conſenſu profecta, quæque diſſolvi nullo modo

e Non poſſunt revocari ſtatuta à Principe, quandoquidem tranſierunt in contractum. *Tr. de reſc. tit. an derog. per reſcriptum, &c. art. 14. nu. 2.*

modo poſſit [a]. Joannes item de Terra-Rubea Regnorum jura, & ſucceſſiones conſuetudine publicè receptâ deferri, ut rem certam, & apertam docet [b]. In eadem ſunt opinione Gregorius Lopes, & Montalvus, qui cenſent Principum bona municipali jure comprehendi [c]. Negat Petrus Belluga Principem ab uſitata conſuetudine, præſertim ubi caſus à lege proviſus non fuerit, citra injuſtitiam poſſe diſcedere [d]. His adjungamus Franciſcum Hottomanum, qui in cauſâ Regiarum, & feudalium ſucceſſionum Romanas leges vinci ab inſtitutis, & moribus Regionum, ut exploratam juris regulam, & fixam tradit [e]. Joannes item Faber [f], Baldus,

a In ſucceſſione Regalium dignitatum, & feudorum conſuetudo vincit jus commune: eſt enim contractus, cujus principium eſt voluntarium, cum inducatur de communi conſenſu totius populi, & habet finem neceſſarium: nam poſtquam inducta eſt conſuetudo, omnes ad ejus obſervantiam obligat,& adſtringit. *Tr. de ſucc. num.* 44. 45 *&* 46.

b In Regnis, Ducatibus, & ſimilibus poteſtatibus ſucceſſio hæreditaria patrimonialis poteſt per conſuetudinem locum obtinere, ut in vim ejus regna deferantur hæredibus. *Tract. de ſucc. art.* 1. *q.* 4.

c Quid autem in conſuetudine, an liget Principem, vide Andream de Iſervia in rub. de conſ. rect. feudi, in qua vult quòd obligetur Princeps conſuetudine rationabili, maxime ſi conſuetudo talis ſit inducta ſciente Principe dominante: & dicit Bald. in cap. 1. §. finali de his qui feuda dare poſſunt, quòd bonæ, & naturales conſuetudines ligant Principem, *ad l.* 6. *tit.* 1. *prim. part.*

d Si ergo caſus non eſſet à lege proviſus, ſtare debet Princeps longævæ conſuetudini, nam ſi facit contra bonam terræ conſuetudinem, non reprobatam à lege Regni, pro tali caſu contra juſtitiam faceret, quia tenetur ad illius obſervantiam. *In ſpec. Princip. cap.* 3. *num.* 9.

e Valeat igitur illa juris feudalis regula, ut in cauſa Regiarum & feudalium ſucceſſionum vetus cujuſcumque gentis inſtitutum Romanas leges vincat. *Lib.* 1. *tit.* 13. *Feud.*

f Si principi cadat hæreditas, conſuetudo terræ ligat Principem, *ad §. ex non ſcripto, Inſtit. de ju. nat. gent. & civ.*

Bar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Barbatias [a], Paulus de Caſtro, Bartolus, & Alexander cujuſque gentis conſuetudine Principem devinctum eſſe decernunt. Sed ne fortè videamur Hiſpanis Regum, & Principum jura ad ſententias Doctorum, velut ad certas leges alligare; quâ mente fuerint Imperatores, quibus non alia major inſedit cura, quàm ut Imperii majeſtatem conſervarent, hoc quoque loco demonſtremus. Ii profectò ſolent Procuratores ſuos graviſſimè admonere, ne authoritate Imperatoriâ ad injuriam abutantur, neve quid contra municipalia jura moliantur, aut Majorum inſtituta convellant; ac Principi quidem ſtatuunt omnia licêre, dum patriæ leges ſerventur incolumes, nec à municipali jure diſcedatur [b].

a *Addit. ſup. tit. qui feuda dare poſ. Ad. L. cum conſuetudini. D. de leg.*

b Hoc ita verum eſt ſi non lex municipalis curatori Reipublicæ amplius concedat. *L. 3. §. plane, quod vi, aut clam.*

XVII. Hoc itaque cùm rationibus, tum locupletiſſimis teſtimoniis effectum ſit, jura ſucceſſionum etiam in Regna, & Principatus ex publicè recepta conſuetudine, cum huic lex nulla repugnat, conſtitui oportere; nec in difficili eſt id ipſum exemplorum, & monumentorum authoritate confirmare. Atque haud ſcimus an ullum adhiberi poſſit exemplum illuſtrius, & ad cauſam noſtram magis idoneum, quàm Caroli V. Imperatoris, cujus teſtimonium nec recuſare Hiſpani,

nec

nec infirmare queant. Cum enim is in Belgium univerſum hoc juris inducere ſtatuiſſet, ut in ſucceſſione Principatuum liberi parentes ſuos referrent; celebratis Ordinum Comitiis, & probatâ omnibus conſilii ſui ratione, tandem Pragmaticâ Sanctione anno quingenteſimo quadrageſimo nono ſupra milleſimum edixit, ut in dominatrice tantùm familia jus repræſentationis deinceps obtineret: ſimul omni conſuetudini, aut contrariæ legi in aliquot Provinciis uſurpatæ derogavit. Ex qua quidem Sanctione intelligimus ſucceſſionum jura in Principatus, ut in privatorum bona lege municipali, aut patriis moribus æquè contineri. Quid enim cauſæ erat cur id novi juris ſtatueret, ut receptam antè conſuetudinem abrogaret, niſi quædam Provinciæ contrario jure uterentur, neque in iis regionibus filii æquo loco, aut jure cum parentibus haberentur? Quid opus fuit derogatione, aut prolixam illam perſcribere Sanctionem, quâ ſtatutum, aut lex, quæ antè non fuit, mutaretur? Quid demum neceſſe erat Ordinum cœtum convocare, niſi ut id unum novi juris inſtitueretur? Neque enim aliud quidquam ex uſitata conſuetudine mutatum eſt; niſi id ſolum, quod in ſucceſſione Principatuum jus repræſentationis attingit. Reliquam adeo conſuetudinem hac exceptione firmatam eſſe conſtat; quæque ad jura ſucceſſionum in ſu-

prema

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

prema dominia pertinent, præter unum illud, de quo diximus, quodque novâ Sanctione ſublatum eſt, Imperator rata eſſe voluit, & perpetua.

XVIII. Nec video quî poſſint Hiſpani hoc exemplum contemnere; ſeu conſtitutionis authorem, ſeu rem ipſam quæ ſancita fuit, ſeu denique interpoſitam Comitiorum authoritatem conſiderent. Neque enim Carolo Imperatori, vel in rebus perſpiciendis ſapientia, vel in tuenda Imperii dignitate ſtudium, vel in augenda potentia defuit ambitio. De jure ſucceſſionum in Belgii Principatus tum agebatur, quæ res Provinciarum ſuffragiis, & Ordinum conſenſu eſt conſtituta; adeo ut in illa Sanctione nihil prætermiſſum, nihil neglectum omnino videatur.

XIX. Huic exemplo alterum adjungamus ex Brabantiæ Annalibus erutum, quod ſimul habet rei judicatæ pondus, & vetuſtatis authoritatem. Margareta Flandriæ Comes Avenenſi primùm Comiti, tum Ampetreo Dynaſtæ nupſerat; nati ſunt ex utroque connubio liberi, priori quidem matrimonio dirempto, quòd Hypodiaconatûs ordine initiatum Avenenſem Margareta longo poſt intervallo comperiſſet. Hæc itaque alteris nuptiis cum Ampetreo initis liberos in ſpem hæredi-

tatis

tatis procreavit. Hinc gravis, & acerba inter Avenenſis, & Ampetrei ſobolem orta eſt controverſia. Joannes quidem, & Balduinus Avenenſes matris bonâ fide nitebantur, ac negabant fas eſſe ut tanquam nothi, & illegitimi maternâ ſucceſſione excluderentur, quòd eas eſſe juſtas nuptias Margareta credidiſſet. Tum id etiam quod potentiſſimum erat, jus ipſum, & conſuetudinem urgebant, quâ liberi quicumque ii ſint, in materna bona ſuccedunt; Neque enim nothi eſſe, aut dici poſſunt, quatenus ad matrem iidem referuntur. Utrique tandem Sancti Ludovici, & Legati Apoſtolici judicio cauſam ſuam, & fortunas permiſère. Re diligenter quæſitâ, & diſquiſitione conſuetudinis factâ, illegitimos etiam filios ex gentis illius inſtitutis matri ſuccedere compertum eſt. Itaque Judices Comitatum Hannoniæ, Valentianas & Auſtrebatenſem tractum Avenenſibus; Flandriæ autem Comitatum Ampetrei ſoboli adjudicarunt; quæſtione de Avenenſium ſtatu, aut capite ad ſummum Pontificem relatâ. Interea tamen à lege municipali, quæ nothos ad matris hæreditatem vocat, diſcedere noluerunt; nec aliud quàm patrios mores ſecuti, ſecundùm prioris connubii liberos judicarunt.

Ne illud quoque prætereundum videtur, quod iiſdem Annalibus proditum XX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

eſt; hoc videlicet Brabantinos uti jure, ut feuda quæque ab alterius parentis morte ad liberos devolvantur, relictâ ſuperſtiti ſolâ utendi fruendi facultate, omni dominio ad ſobolem tranſlato. Hinc Ducem inter & liberos anno milleſimo ducenteſimo triceſimo gravis eſt orta contentio, an ſuprema dignitas eâ lege, quâ reliqua feuda, teneretur; ita ut ne Dux quidem uxore fato functâ alienare quicquam poſſet, aut diſtrahere. Quæ ad Henricum Romanorum Regem cùm delata eſſet controverſia, jus illud devolutionis ad Ducatum ipſum, ut ad reliqua feuda pertinere de Principum Imperii ſententiâ judicavit. Hinc Duci interdicta eſt omnis alienatio; idque adeo ſi tentaret, filiis ejus liceret repetere, atque ut rem ſuam vindicare, quòd jure devolutionis feuda, quæcumque illa ſint, alterius parentis morte liberis mancipentur.

XXI. Jam quid illud neceſſe eſt commemorare, quod Guiſeus in Annalibus Hanoniæ ſcribit? Balduinum Comitem, qui Græcorum poſtea factus eſt Imperator; anno ducenteſimo ſupra milleſimum, antequam ullæ eſſent municipales deſcriptæ leges, jurejurando ſe coram Procerum cœtu, & magna populi frequentia obſtrinxiſſe, fore ut patrias leges, præſertim quæ ſucceſſionum jura

con-

conſtituunt, eâdem religione, quâ tenuiores quique obſervaret, neque ab iis unquam recederet. Quid illud Sigiſmundi judicium, quod refert Viguerius, qui Hiſtoriam Lotharingiæ conſcripſit; parumne legum municipalium vim, & authoritatem commendat? Cum enim ante ducentos annos de ſucceſſionis in Lotharingiæ Ducatum jure magna eſſet orta diſceptatio; hanc Sigiſmundus Imperator, qui Baſileenſi Concilio tum intererat, coram Patribus ex communi feudorum conſuetudine, quæ in ea regione obtinebat, dijudicavit. Huc etiam pertinet quod Froſſardus, & Huguelinus ſcribunt, anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo de ſucceſſione in Britanniæ Ducatum inter Joannem Comitem à Monteforti, & Carolum Bleſenſem, qui Joannam Britanniæ in matrimonium duxerat, coram Philippo Valeſio, & Procerum conventu ſummâ fuiſſe diſſenſione certatum: cum ille ſe potiorem eſſe contenderet, quòd jure feudorum fœminæ excluderentur, nec alius quiſquam virili ſtirpe propior exiſteret: contrà Bleſenſis Britanniæ conſuetudine nitebatur, quâ filiæ parentes referunt, & ſtirpi virili gradu remotiori anteponuntur. Diſquiſitione factâ & perſpectâ conſuetudine vicit Bleſenſis, ac municipalium legum authoritate Joanna adverſus patruum jus ſuum obtinuit.

XXII. Nota eſt, & omnium penè Scriptorum mandata literis inter Robertum III. Philippi filium, & Mathildem Othonis Burgundiæ Comitis uxorem, de ſucceſſione in Comitatum Atrebatenſem diù multumque jactata diſceptatio. Cùm Mathildis Roberti II. filia, & Roberti III. amita ex Atrebatenſi conſuetudine, quæ jus repræſentationis in recto deſcendentium ordine non admittit, cauſam ſuam defenderet; ſimul eum Comitatum ad Reginam Iſabellam jure hæreditario veniſſe, neque adeo fœminas eâ poſſeſſione excludi oſtenderet: contrà Robertus Bellomontanus Comes Roberti Atrebatenſis ex Philippo, qui priùs quàm pater naturæ conceſſerat, nepos, jus repræſentationis urgeret; Atrebatenſem quoque Comitatum à Ludovico VIII. Franciæ Regno adjunctum, & panagii loco Regis filio natu minori conceſſum ante fuiſſe contenderet. Sed potior fuit conſuetudinis authoritas, quæ jus repræſentationis in hac regione non recipit. Hinc Philippus Rex ſecundùm Mathildem judicavit: nec ſtirpis directæ favor, nec ſexûs prærogativa jus municipale potuit infringere.

XXIII. Quid illa tam inuſitata, & inaudita religio, quæ Joannem Avenenſem Hanoniæ Comitem inceſſit, cum aviæ ſuæ

Mar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Margaretæ adiit hæreditatem, nonne magno eſt argumento, omnium ætatum, ac regionum eam ſemper fuiſſe ſententiam, jura ſucceſſionum in Principatus ad conſuetudines, & leges municipales referri oportere? Is enim Margaretæ Comitis ex Joanne Avenenſi, qui ante matrem deceſſerat, nepos, aviæ in Comitatum Hannoniæ ſucceſſit, quòd ea eſſet in dotali inſtrumento adjecta clauſula, quæ jus in Principatum cùm Joanni Avenenſi patri, tum ejus liberis tribueret. At Comes ſubinde veritus ne ad eam ſucceſſionem repræſentationis jure, quod ex patriis moribus nullum erat, vocatus videretur; quò omnes intelligerent nihil ſe contra jura municipalia moliri, quocumque poſſeſſionem initurus accedebat, eò patris jam antè mortui corpus inferri juſſit, ut paterno, & hæreditario, non repræſentationis jure ſe in Comitatum ſuccedere demonſtraret.

Quid ſibi voluit illa Philippi Burgundiæ Ducis obnuntiatio, cùm Flandri anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo leges municipales deſcribere, & in certum ordinem digerere ſtatuiſſent, ut ante ſexennium Carolus VII. leges, & conſuetudines quibus Galli in diverſis provinciis utuntur, in unum corpus redegerat? Quid, inquam, cauſæ fuit cur Philippus XXIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Flandros ab inſtituto revocaret, iiſque denuntiaret fore ut his legibus non teneretur, ni adeſſent qui Principis vice fungerentur, & dignitatem conſervarent? Pulcrè enim intelligebat vir prudentiſſimus leges municipales ad Principem juxtà, & ſubditos pertinere. Sexcenta quidem poſſunt ex publicis monumentis in eam ſententiam proferri teſtimonia. Nec ferè unquam de jure ſucceſſionis inter Principes, aut erciſcundâ familiâ, aut doariis, aut panagiis conſtituendis mota eſt controverſia, quæ ad patrios mores, & conſuetudines non fuerit revocata. Ne ipſi quidem Imperatores ſe liberos, ac ſolutos ab iis legibus credidere. Auguſtus imprimis cum Liviæ Imperatrici plus quàm leges permitterent, teſtamento legare ſtatuiſſet, legum veniam ſibi à Senatu duxit impetrandam. Trajanus quoque Imperator rerum geſtarum gloria, virtute, & conſilio præſtantiſſimus, quorumdam aſſentatorum pravis ſermonibus, qui patriis legibus Imperatores non adſtringi dictitabant, non modò non credidit, ſed etiam ut eos majori authoritate refelleret, pro roſtris edixit, nihil Principem magis è dignitate ſua, juſtitia, & ſecuritate agere poſſe, quàm ſi jura cujuſque gentis municipalia ſummo ſtudio retineat. In quo quidem à priſca xij. tabularum lege non receſſit, quâ Magiſtratus, & pri-

Plin. in paneg.

& privati patriis moribus æquè ſubjiciuntur.

Ritus familiæ patriæque ſervanto. *L. 12. Tabul.*

XXV. Cum itaque in Regiam Hiſpaniæ varii Principatus cùm inter ſe, tum ab ipſa Corona diviſi convenerint; profectò liquet ſuos cuique Provinciæ mores, & proprias leges eſſe conſtitutas, quibus ſucceſſionum jura in eos Principatus continentur. Nam ut unius & ejuſdem Principis pareant imperio, ſua tamen cuique genti manent jura, quæ perturbari, aut convelli non poſſunt. Atque ut privati alicujus bona in variis diſperſa regionibus, ſic diſtractæ illæ partes, quæ non ut membra in unum corpus, ſed ut res disjunctiſſimæ in unius Principis imperium ſorte quadam convenêre, ſuis quæque legibus reguntur, ſuis moribus, & inſtitutis utuntur. Ex quo quidem intelligi par eſt id quod pluribus argumentis, & exemplis oſtendimus, jura ſucceſſionum in hos Principatus, ut in privatas ſucceſſiones, poſita eſſe in more cujuſque Provinciæ, aut civitatis, maximè cùm ea non ſunt certis legibus conſtituta. Neque enim aliud occurrit quod ſequi poſſimus, niſi mores municipales, & Majorum inſtituta. Atque his ſublatis nihil eſt quod Regnorum jura ſtatuere, & firmare poſſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

I. Reginæ jura unde potiſſimùm ducantur.

AC nos quidem nimis multa de re apertiſſima. Nunc itaque Reginæ jura nobis ſeparatim ſunt adeunda. Sed priùs tamen ab Hiſpaniæ Conſilio petimus, ne quid de majeſtate Regis Catholici detractum putet, ſi Provinciarum quibus ille præeſt, legibus eum quodammodo devinctum eſſe contendimus. Id enim ad Principis dignitatem maximè pertinet, ut injuſtè, & impotenter agere non poſſit, ut legibus pareat, neque illa Imperiorum vincula revellat; nec legum denique authoritatem, quæ vel ſummo Imperio initium dedit, vel ab eo certè profecta eſt, ullo modo perrumpat. Nam Regalis poteſtas tum maximè elucet, cùm legum inſtituta confirmat, non infringit. Cumque ſummi Imperii decus à cæleſti numine defluxerit, tum poteſtatis vim, & rationem habet, cum leges, & juſtitiam tuetur. Quòd ſi verò ab ea deflexerit, & contra æquitatem armetur, tum impotentia quædam, non poteſtas dicenda eſt: niſi fortè quis putat patremfamilias, qui in domo ſua conſtitutum ordinem conſervat, aut virum qui à conventis cum uxore initis non recedit, Imperii domeſtici jus non retinere. An fides aut religio quâ ille inſtitutum à ſe, vel probatum ordinem familiæ ſuæ tuetur; hic ſtat conventis, & promiſſa facit, vel patris, vel mariti authoritatem imminuit? An potiùs,

tiùs, vel eo maximè ſua jura retinent, & patris, aut mariti obeunt munera, quòd ab æquitate, & fide non deſciſcant? Similiter quidem nihil Princeps de majeſtate ſua decedit, cùm patriis legibus, & conſuetudini obtemperat. Hæ quippe à juſtitiæ fonte manârunt, quam colit optimus quiſque Princeps: nam ut Reges ſubditis, ſic Regibus juſtitia præeſſe debet.

Reginæ Chriſtianiſſimæ, ut ad rem ipſam veniamus, cùm patria, tum materna jura, ex pactis dotalibus, quæ inter Philippum IV. Hiſpaniæ Regem, & Eliſabetham Franciæ inita ſunt, potiſſimùm ducuntur; eaque tribus maximè bonorum generibus continentur, pecuniâ numeratâ, gemmis, & dominiis. De ſingulis utique ſeparatim, diſtinctèque dicendum. II.

De pecunia numerata.

Eliſabethæ Reginæ dos fuit quingenti mille nummi aurei. Ad hanc ſummam acceſſêre 166666. aurei à Rege Catholico in dotis augmentum collati. Dos illa nondum eſt reſtituta, nec dotis acceſſio perſoluta. Quare dubitare non poſſumus quin Reginæ Eliſabethæ cùm dos ipſa, tum acceſſio unà cum uſuris Reginæ Chriſtianiſſimæ debeantur; dos III.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

quippe, & dotis augmentum, quod doarii loco eſt, hanc, ut omnes norunt, habent prærogativam, ut cum legitimis præſtari debeant uſuris. Quod dotem attinet, hoc juris eſt, ut ex eo die quo mater deceſſerit, ratio uſurarum habeatur. Tametſi non inficiamur municipali Hiſpaniarum lege prædii dotalis fructus, aut pecuniæ uſuras penes patrem eâ lege remanere, ut liberorum alimentis, & educationi conſulat: cumque ii vel matrimonio juncti, vel ætate majores fuerint, tum demum materna illis bona reſtituuntur. Quamobrem ex die quartò Junii anni milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi, quo nuptiæ ſunt celebratæ, ea dos Reginæ Chriſtianiſſimæ debetur, atque ex eo tempore uſuræ ſunt computandæ. Quæ ex dotis acceſſione prodierunt, harum nullam ducimus rationem: cum ex eo tantùm die, quo Rex Catholicus mortem obiit, æſtimari illas oporteat; nec tanti ſint ut in calculum veniant, ubi maximarum rerum momenta verſantur. His itaque deductis 500000 aureis, quanta fuit dos Eliſabethæ Reginæ, ſi 150000 in uſuras quæ ante ſexcennium computantur, adjeceris, ſumma erit 650000 aureorum, cui addenda eſt dotis acceſſio 166666. Itaque ſi bene calculum poſuimus, totius ſumma 816666. nummûm aureorum futura eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

At fortè pars tantùm illius ſummæ, non ſolida, & integra Reginæ debetur. Hoc utique eſt diſcutiendum; & quò faciliùs rationem ineamus, Reginam Chriſt. in triplici velut ſtatu conſtitutam intueri licet. Primùm quidem unà cum fratre Balthaſare matri hæres ex æquo fuit; tum fratri ſuo ea ſucceſſit. Poſtremò dubitari non poteſt quin eadem in partem aliquam paternæ hæreditatis vocetur. Matri, ut diximus, primùm hæres ex ſemiſſe fuit: ſed à morte fratris, in cujus locum ſucceſſit, dos integra, & materna bona ex communi jure ad eam venerunt: quod demum à patre in dotis acceſſionem fuit conſtitutum, ad eam nemine diſſentiente revertitur: cum ex prioribus nuptiis una patri ſuperfuerit. Itaque Regis Catholici hæreditas Reginæ Chriſt. cùm maternæ dotis, tum acceſſionis nomine adſtricta eſt; nec poſſunt Hiſpani quin ſummam 816666. nummûm aureorum, quæ à nobis inita eſt, quæque Eliſabethæ dos fuit, Reginæ Chriſt. reſtituant, recuſare. IV.

Gemmæ.

Ducenda quoque eſt ratio gemmarum quæ in dotali inſtrumento perſcriptæ ſunt, quæque ſunt hujuſmodi, ut partim à Rege Catholico ſponſæ ob nuptias donatæ, partim ab Eliſabetha Rigina in Hi- V.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ſpaniam allatæ fuerint; illæ 50000. num-mûm aureorum pretio ſunt æſtimatæ, harum nulla facta eſt æſtimatio; de utriſque tamen dotali inſtrumento æquè cautum fuit, & in ſtipulationem deductum, ut earum proprietas, & dominium cum ad Reginam, tum ad ejus hæredes pertineret. Quanti porro pretii fuerint gemmæ, quas Regina Eliſabetha tum habuit, cum in Hiſpaniam profecta eſt, tametſi, ut diximus, non fuerint æſtimatæ, nec ſecundum ejus mortem, ut par erat, in tabulas, aut indicem relatæ; tamen conjecturâ facilè conſequi poſſumus, non minoris eas pretii fuiſſe, quàm quæ illi à Rege Catholico ſunt datæ muneri. Nec dubium eſt quin æquabilitatis ratio inprimis habita ſit. Accedit etiam quòd Anna Auſtriaca, quæ Regi Chriſtianiſſimo tum nupſit, cum Eliſabetha in Hiſpaniam deducta eſt, tantumdem attulerit gemmarum. Quòd ſi igitur hîc quoque calculum ponamus, Eliſabethæ Reginæ gemmas non minori pretio, quàm 100000. aureis æſtimari poſſe comperiemus. Neque in hac ratione ducimus legitimas uſuras, quæ abhinc ſexennio ſunt computandæ: cum hæreditaria quæque bona minorum lucro ex jure communi cedere oporteat. Summa itaque erit intra 130000. nummos aureos, quæ Reginæ Chriſt. itidem eſt reſtituenda: hæc enim à matre illi venit hæreditas.

Iſta quidem ut properantes percurrimus, quò ad majora veniamus, & Reginæ jura in Principatus exequamur. Sed priuſquam id ipſum quod omnium maximum eſt, aggredimur, quod in hujus operis decurſu præſtitimus, hoc quoque loco nobis faciendum, ut quæ contra afferre poſſunt Hiſpani, diluamus, ne ulla vel tenuiſſima dubitatio remaneat. Ac primùm id fortaſſe contenderint, hoc jure Hiſpanos uti, ut pater in filii demortui locum præ aliis liberis ſuccedat; quæque adeo Principi Balthaſari à matre obvenerant bona, hæc ad Regem Catholicum, non ad Reginam Chriſtianiſſimam jurè hæreditario perveniſſe. Verùm hæc defenſio facilè ejicitur: 1. cùm Hiſpanicis legibus illud ſit conſtitutum, ut ſoluto matrimonio, quam accepit dotem pater, hanc liberis inde procreatis, dum minores fuerint, ſervet incolumem, ætate majoribus reſtituat. 2. Deinde nihil eorum quæ propria liberorum ſunt, quorum ex genere eſt dos materna, quæ mulieris patrimonium municipali Hiſpaniarum jure cenſetur, ad patrem hæreditatis nomine pertinet. Quod cum univerſim ſit verum, tum in hac cauſa maximè perſpicuum eſt: ſiquidem & dotis, & gemmarum proprietatem penes Reginam Eliſabetham, atque ejus hæredes fore inſtrumento dotali

L. 31. tit. de las dotes. 4. part.
L. 23. ibidem.

L. 1. tit. 11. de las dotes. 4. part.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

cautum fuit, ita ut dominium, ſeu proprietas dotis tum ex ſtipulatione, tum ex communi jure ad Reginam Chriſtianiſſimam devenerit. 3. Poſtremò ut Principis Balthaſaris hæreditatem Rex Catholicus adierit, eam profectò cum ſecundas iniit nuptias, Sereniſſimæ Infanti reſtitutam oportuit: id enim patriis Hiſpaniæ moribus, qui hac in re, ut Doctores omnes conſentiunt, à civili jure non abhorrent [a], ſancitum eſt. Nam qui liberis ſuis novercam ſuperinduxerit, is non dotem modò, ſed etiam quæ ſuperiori matrimonio accepta retulit, & quas eo nomine hæreditates adiit, liberis ſuis ex civili jure reddat neceſſe eſt [b]. Quod lege 15. Tauri ſtatutum videtur, quæ non uxori magis quàm marito præſcri„bit, ut bonorum dominia liberis ex „priori matrimonio natis integra con„ſervent; cumque mulier quæ ſecundò „nubit, bona diſtrahere prohibetur, tum „etiam vir eadem bona tueri, & ſervare „debet; nec poteſt ad alios quàm ad „prioris connubii liberos illa tranſmitte„re; ut eadem ſit ratio viri, quæ uxo„ris, ac neutri liceat bona quæ liberis ex „ſuperiore matrimonio natis ab alterius „parentis morte mancipantur, alienare.

a Covarruvias in Cap. Quamvis. de pact. in ſexto. 3. part. §. 3. num. 1. Oldrado Conſil. 94. Bened. in Cap. Raynutius, num. 288. Joannes Lupus ad L. 12. Taur. de las herencias. for. LL.

b L. Fœminæ. Cod. De ſecund. nuptiis. L. Edictali. Cod. eodem.

VII. Illud etiam maximè eſt diſſimulandum, quod Hiſpani de acceſſione dotis poſſunt excipere; hoc videlicet dotis

augmen-

augmentum nihil ad Reginam Chriſtianiſſimam pertinere : cum uxori non debeatur, niſi ſit mariti ſuperſtes : cumque Regina Eliſabetha antè deceſſerit quàm Rex Catholicus, non poteſt Regina Chriſtianiſſima hanc dotis acceſſionem repoſcere.

Sed hujus calumniæ facilis eſt, & expedita depulſio. Quòd ſi enim verba quibus concepta eſt ea clauſula, ponderemus; ſi rerum, & perſonarum complexum, quæque circumſtant omnia acrioribus oculis intueamur, nullus profectò huic ſubterfugio locus relinquetur. Sic igitur dotali inſtrumento cautum fuit, ut " loco doarii, quod in Gallia eſt uſitatum " D. Eliſabethæ in dotis augmentum ex " uſu Regni Hiſpanici ſumma 166666 " nummûm aureorum cum beſſe unius " nummi, quæ eſt pars tertia integræ do- " tis, tribuatur. Quæ quidem dotis acceſ- " ſio penes Eliſabetham, & ejus poſteros, " eoſve ad quos ab ea pertinebit, hæredita- " tis loco futura eſt; ut arbitratu ſuo, quâ " teſtamento, quâ donatione, ut conſuetu- " do Hiſpaniæ fert, eam pecuniam poſſit " perinde ut illi viſum fuerit, diſtrahere. Ac " nuptiis celebratis certa erunt deſignan- " da prædia in quibus illa dotis accretio " collocetur, eamque in uſus ſuos eodem " jure quo dotalem pecuniam convertat. " Ex quibus ſanè intelligimus eam dotis VIII.

acceſ-

acceſſionem doarii vice in Galliis uſurpati eſſe collatam; utriuſque adeo idem jus eſſe, eandem planè rationem, & effectus omnino conſimiles. Atqui doarium in Gallia penes liberos manet, & illius ratio ex nuptiarum die ducitur.

IX. Quamobrem illa dotis acceſſio Eliſabethæ Reginæ non fuit eâ conditione promiſſa, dum eſſet mariti ſuperſtes, ſed licet prior è vita diſceſſerit, hoc quidquid eſt, non ſolùm ad Reginam, verùm etiam ad liberos ejus hæreditario jure pertinere ne ipſi quidem Hiſpani negaverint. Præſertim cum illud dotis augmentum ex moribus, & conſuetudine Hiſpaniarum fuerit conſtitutum, omniſque adeo res ad uſum, & inſtituta illius Regni ſit omnino revocanda. Quod autem uxori à marito ex nuptiarum cauſa donatum eſt, quodque arrhas vulgo appellant, uxori juxtà, & liberis id mancipari leges Hiſpanicæ decernunt [a]. Ex quibus ea quæ eſt numero 87. tituli 18. de publicis tabulis, aut ſcriptis parte 3. ejus donationis formulam ita deſcribit. Hoc prædio uxorem ſic dono, ut cùm ipſa, tum qui ex iis nuptiis futuri ſunt liberi, id tamquam ſuum, & proprium poſſideant. Longiùs quidem tendit lex Tauri quinquageſima prima, cum ſtatuit quæ ſunt arrharum nomine donata, non utique ad

[a] *L. 1. tit. de las dotes. e de las donat. e de las arrhas. 4. part. L. 1. de las arrhas. lib. 3. For. LL. L. 23. ibid.*

ad mariti, ſed potiùs ad uxoris hæredes, ſi ille abſque liberis deceſſerit, pertinere. Quocirca nihil afferunt, qui illam dotis acceſſionem uxori tantùm, quæ marito ſupereſt, civili jure deberi contendunt; cum ex pactis dotalibus illud dotis augmentum ad mores, & conſuetudinem Hiſpaniarum, non ad jus civile ſit referendum. Ac fruſtra neglectis Hiſpaniæ legibus, quæ ſunt in ipſo contractu perſcriptæ, jus civile nobis obtrudunt; cum ad patrias leges, ad ejus Regni inſtituta tabulæ dotales nos revocent. Præſertim cum vox illa, dotis augmentum apud Hiſpanos ſit penitus incognita. Nec video cur hoc verbi in dotale inſtrumentum irrepſerit, niſi fortè juris quidam peritus ab Hiſpania conſultus hac voce ſibi magis perſpectâ, & familiari, quàm arrharum nomine uti maluerit; cum tamen perſuaſum is haberet eamdem utrique nomini vim ſubeſſe. In quo quidem non plurimùm à Doctorum ſententia aberrabat; nam Joannes Lupus [a], & Montalvus [b] perſpicuè docent id ipſum

a In his Regnis ſecundùm morem Hiſpaniæ appellamus eas donationes arrhas, quæ dantur à viro uxori, vel dari præſumuntur in præmium virginitatis, & pudicitiæ, & propterea multum favent jura iſtis donationibus, ſive arrhis. *Rub. de don. Inter vir. & ux.* §. 12. In his Regnis non fiunt iſtæ donationes, ſed dantur arrhæ, ut dicit lex Regni, & ſic in effectu iſtæ arrhæ ſucceſſerunt loco donationis propter nupt. *Idem.* §. 24.

b Quod vir uxori dat, eſt donatio propter nuptias, quæ vocantur in Hiſpania arrhæ, *Ad l. 1. tit.* 4. 11. *part. & ad l.* 82. *tit.* 18. *part.* 3.

quod

quod Romanæ leges dotis augmentum, vel donationem propter nuptias vocant, ab Hiſpanis arrhas appellari. Sed omnium dilucidiſſimè Covarruvias uxori jam ab initis nuptiis arrhas velut quoddam virginitatis pretium quæſitas eſſe teſtatur a. Verùm in hoc non ſumus admodum ſolliciti: cum enim res ipſa intelligitur, ſtultum ſit in verborum errore verſari: & quacumque voce ſignetur illa dotis acceſſio, certum eſt eam doarii loco exiſtere, & ad conſuetudinem Hiſpaniæ omnino eſſe revocandam. Nec de vocabulis eſt litigandum, cum res apertæ ſunt; nec demum ea poſſunt dotalis inſtrumenti conventiones, aut effectus inhibere. Accedit illud etiam, eâdem clauſulâ cautum fuiſſe ut hoc dotis augmentum ſtatim à mariti morte ad Reginam Eliſabetham, & ejus ſobolem pertineret. Quid ergo, an liberis ſua non conſtabunt jura, ſi uxor fortè prior deceſſerit? cum ſibi, & poſteris aliquid proprium futurum eſſe mulier ſtipulatur, ſi fortè prior è vita migraverit, num liberi illâ hæreditate fraudantur? Nullo ſanè id jure, nullo exemplo ſtatui poteſt; cum à matre ad liberos veniat hæreditas; neque illius mors horum cauſæ obeſſe queat, aut quæſita jura evertere. Quòd ſi teſtatoris voluntas hoc ipſo liberos complecti intelligitur, quòd eorum aliquam facit mentionem; atque hoc juris in legatis, fideicommiſſis, & vulgari

a Arrhas vulgo appellamus donationes factas uxoribus ante, vel poſt matrimonium, ut eo conſummato ſtatim eis acquirantur in præmium pudicitiæ. *In lib. 4. Decr. part. 2. §. 7. cap. 3.*

vulgari ſubſtitutione ſemper obtinet: multò illud magis in gratiam liberorum valere debet, ubi doarium tabulis dotalibus fuit conſtitutum: eò enim ſpectat ut liberorum alimentis ſit, & educationi proſpectum.

X. Poſtremò in id unum præcipuè cùm Galli, tum Hiſpani intenti fuêre, ut in hac affinitate jungenda utrimque omnia æquarentur jura. Quæ ratio ſanè multum eos fefellit, ſi naſcituri ex eo connubio liberi Eliſabethâ matre ante Regem Catholicum extinctâ, dotis acceſſione privarentur; cum Annæ Auſtriacæ ſoboli certum eſſet in Gallia, & conſtitutum doarium, etiamſi ea prior diem obiiſſet. Hoc igitur viderint, an illa adverſus jus publicum, Hiſpaniæ mores, conventorum fidem, & æqualitatem ipſam valere poſſit exceptio; dotis videlicet augmentum in iis Provinciis, quæ civili jure utuntur, neque uxoris eſſe, neque liberorum qui ex his nuptiis naſcuntur, ni pater prior è vita diſceſſerit; nec demum in dotali inſtrumento id cautum fuiſſe, ut ad liberos ea rediret dotis acceſſio, ſi fortè mater prior moreretur. Quaſi verò hæc cuiquam probari poſſint ſubtilitatis argumenta, aut ullum ſit in jure civili adverſus ea quæ ſunt in dotali inſtrumento ſancita, & conventa perfugium? Quis enim ignorat Legum Romanarum,

& mu-

& municipalium aliam eſſe, & diverſam planè rationem? ſiquidem in iis regionibus quæ jure civili utuntur, uxor mortuo marito, aut liberi poſt matris obitum, quod causâ dotis datum fuit, id omne à patre repetunt. Contra in iis quæ jure municipali reguntur Provinciis, penes maritum, aut illius hæredes, pars dotis quaſi in rem mobilem converſa remanet: cumque eâ ratione uxor dotis parte mulctetur, hanc velut jacturam explet doarium, quod idcirco nuptiarum nomine ad liberos manat, quò videlicet id ipſum quod ex dote imminutum, & detractum eſt, hinc quodammodo ſarciatur. Idque adeo verum eſt, ut ſi fortè nulla de doario fuerit facta conventio, hoc tamen cùm matri, tum liberis municipales mores concedant. Nec refert uter conjugum alterius ſuperſtes fuerit; id quippe in rationem non venit, nec quicquam ad rem ipſam pertinet. Quod itaque in dotali inſtrumento perſcriptum negant, ut ſi Regina Eliſabetha prior decederet, hoc dotis augmentum ad liberos ejus nihilominus perveniret, quàm leve ſit, & infirmum nemo non perſpicit. Quid enim neceſſe fuit verbis nuncupare, aut ſtipulari, quod jure communi ſancitum eſt? Quin potiùs in contrarium facilè ducitur argumentum: nam ſi ea mens contrahentium fuit, ut illa dotis acceſſio ad liberos non pertineret, id

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

conceptis verbis omnino explicatum oportuit: ſiquidem hoc jure utitur Hiſpania, ac ſpeciali ſaltem clauſulâ opus fuit, quæ communi juri derogaret. Quamobrem omni ratione, legum auroritate, & publico jure hoc dotis augmentum ad Reginam Chriſtianiſſimam pertinere demonſtratum arbitramur. Eâ tamen eſt mente, hâc animi magnitudine, ut non ſolùm de hoc jure, quod minimè ambiguum eſt, aut controverſum, libens decedat: ſed etiam mundum muliebrem, genialis, & quotidiani, ut vocant, lecti partem dimidiam, quam ipſi tribuunt municipales Hiſpaniæ mores; uſuras itidem, quæ ob gemmas in calculum veniunt; portionem denique legitimam paternæ hæreditatis, quatenus pecuniâ æſtimari poteſt, Hiſpanis ultro condonet: quò omnes intelligant, matris dotem, & gemmas eò tantum repoſcere, quòd non poſſit niſi indecorè, cariſſima natalium ſuorum pignora negligere. Ne multa, non adeo præfractè jura ſua defendet, ut æquam ſe, & facilem non præbeat, ſi quid fortè de pecunia ſibi debita ſit decidendum. Sed fas eſſe non putat, vel patrimonium ſuum, vel Principatus ſibi providentiæ munere collatos deſerere. Neque enim poteſt ſine flagitio, & religionis ſuæ periculo creditam ſibi populorum adminiſtrationem ejurare.

Jura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Jura in Dominia & Principatus.

I. PRincipatus omnes non alio jure quàm feuda, ſeu gentilitia prædia ad conſuetudinis normam, quam ſibi civitas quæque, vel Provincia conſtituit, niſi quid aliud publicâ Imperii lege ſancitum ſit, omnino exigi oportere, cùm rationibus, tum exemplis, Doctorum quoque teſtimoniis, & legum authoritate ita demonſtratum à nobis fuit, ut nullo id pacto convelli poſſit. Nunc quos Principatus, & quo jure ſibi Regina vindicet, paulo diligentiùs exequamur: nam in hoc maximè totius cauſæ ſumma conſiſtit. Ac ne diutiùs Hiſpanorum expectatio ſuſpenſa teneatur, Regina Chriſtianiſſima Ducatum Brabantiæ, quæque huic ſunt adjuncta dominia inferiùs enumeranda; Mechliniæ itidem, Antverpiæ, ſuperioris Geldriæ, Namurci, Limburgii, Dalhemi, & qui ultra Moſam excurrunt dominatus, Hannoniam, Arteſiam, Cameracum, Burgundiam, & Luceburgum hæreditario jure ad ſe delata eſſe contendit.

II. Etſi illud in publico more poſitum eſt, & naturæ lege cõſtitutum, ut jure ſanguinis delatæ hæreditates adiri ſoleant, non probari; quandoquidem bonorum poſſeſſio legitimo hæredi pleno jure tranſmittitur: ea tamen eſt Regis Chriſtianiſ-

ſimi

ſimi æquitas cum ſumma moderatione conjuncta, ut tuendæ pacis, & concordiæ ſtudio jura ſua ad Provinciarum conſuetudines, aut populorum leges ſeorſim exigi, & juſtitiæ ponderibus examinari non recuſet. Cum autem inter eos Principatus, qui ad Reginam delati ſunt, Brabantia ſit & dignitate, & Belgii Principum ſede, & urbium ſplendore præcipua; ab eo quidem Ducatu potiſſimum nobis capiendum videtur exordium.

Brabantia.

I. LEx eſt in Ducatu Brabantiæ non vetuſtate modò, ſed etiam uſu, & moribus univerſim comprobata; ut ſi alter conjugum deceſſerit, feudorum quæ ſunt ſuperſtitis dominium jure quodam devolutionis (ita enim vulgò id juris ſolet appellari) liberis ſtatim tranſmittatur, poſſeſſione dumtaxat, vel uſufructu penes eum qui ſupereſt parentem remanente. Utrum lex iſta liberis plus ſatis indulgeat, atque in parentes nimiùm dura, & acerba ſit judicanda, nihil neceſſe eſt hoc loco contendere. Illud in univerſum monuiſſe ſatis fuerit, eam legem quæ poſterioris connubii intemperantiam reprimit, & indecoras ſæpè affinitates coërcet, ut ſeveriorem, aut iniquiorem reprehendi facilè non poſſe. Quæcumque enim adhibeatur diligentia, fieri vix poteſt, ut alteræ nuptiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

nuptiæ parentis animum alieniorem à liberis non efficiant. Multùm quippe de paterna in filios benignitate, & caritate ejuſmodi connubia detrahunt, benevolentiam ſæpe tollunt, diſcordias fovent, & liberos fortunis ſuis plerumque evertunt. Verùm id nunc non agimus, ut legis æquitatem defendamus. Tantùm ſatis eſt intelligi eam legem eſſe deſcriptam, uſu firmatam, & vetuſtate quaſi conſecratam. Hanc igitur proſequamus. „Si vir, vel uxor, quibus liberi „ ſuperſunt, moritur, ad prolem unam, „ vel plures per ſeparationem thori pro- „ prietas feudorum provenientium ex la- „ tere ſuperſtitis devolvitur, ſervato ſu- „ perſtiti ſolummodo feudorum uſufructu „ hæreditario. Quæ quidem lex lucidior multò eſt, quàm ut egeat interpretatione; eaque in populorum animis tam altè inſidet, ut nulla ſit à Juriſperitis ejus provinciæ diligentiùs pertractata, nulla majori religione obſervata; hinc ſæpe repetita in conſuetudine, & per omnes penè articulos capitis primi fuſa reperitur.

Cap. 1. art. 2. aliàs tit. de ſucceſſ. Feudor. art. 22.

II. Quid enim aliud ſibi vult, aut quò ſpectat articulus 15. ejuſdem capitis, niſi ut jus illud devolutionis confirmet? Vidua, „ inquit, mortuo marito ſine legitima „ prole uſumfructum ſimplicem habet in „ ſemiſſe bonorum feudalium mariti, „ ſed ſuorum feudorum integrum uſum-

fructum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

fructum retinet cùm liberi ſuperſunt. " Quo quidem loco duplicem uſumfructum lex ipſa diſtinguit, unum ſimplicem à proprietate ita ſejunctum, ut nullus unquam ad eam pateat reditus; alterum hæreditarium, qui cum rei proprietate confundi poteſt, ſi fortè liberi ex ſuperiori connubio procreati deceſſerint: tum enim dominium ab uſufructu priùs diſcretum, jam cum illo conjungitur, & cò revertitur unde profectum eſt.

III.

Jam quid neceſſe eſt referre articulos 16. & 17.[a] ejuſdem capitis, quibus ſtatuitur, ut conjugum ſuperſtes partim ſimplicis, partim hæreditarii uſusfructûs titulo, feudis conſtante matrimonio quæſitis potiatur. Partem quippe unam ſibi debitam hæreditario jure, alteram ſimplici uſufructu poſſidet. Sed utriuſque proprietas ſoluto matrimonio in liberos transfunditur. Atque id juris ſic totius Provinciæ moribus comprobatur, ut multis in locis ad beneficiaria quoque, & clientelaria bona pertineat, uti Chriſtineus[b], & Kintſchotius[c] præter cæteros obſervant.

a Superſtes ex conjugibus in ſemiſſe feudorum conſtante matrimonio quæſitorum proprietatem ſeu plenum dominium habet, & quantum ad reſtantem ſemiſſem iſtius uſusfructus attinet, ſi neque filii, neque nepotes ex filiis invenientur. *Art.* 16.

Sed ſi iſtius matrimonii proles unus vel plures, vel eorum liberi ſuperſint, adveniente thori ſeparatione, eo caſu apud ſuperſtitem conjugum in ſemiſſe feudorum nudus uſusfructus, & in altero ſemiſſe uſusfructus hæreditarius remanebit. *Art.* 17.

b *In Conſ. Mechlin. tit.* 16. *art.* 24. *in Addit.*

c Similiter proprietas cæterorum bonorum devolvitur ad prolem diſſoluto eo matrimonio quo ſtante bona illa fuêre unius, vel alterius conjugum, juxta conſuetudinem particularem territorii Lovanienſis, Silvaducenſis, &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

IV. Ac ne fortè cuipiam ea lex exoletæ ſeveritatis, & populorum moribus, fere ut illa xij. tabularum lex, quæ debitoris corpus cùm ſolvendo non erat, laniandum creditoribus, & dividendum permittebat, abrogata videatur: hoc juris ab antiquis temporibus conſtitutum, uſque ad hoc tempus obſervatum, ad omnes omnino, ne Brabantiæ quidem Principibus exceptis, pertinere docebimus. Primùm Doctorum etiam recentiorum, qui hanc legem verborum honore, & laudibus ubique proſequuntur, teſtimoniis utemur; deinde exempla non ſolùm nobilium, ſed & Brabantiæ Principum, qui ab hac conſuetudine nunquam receſſère, tum etiam Tribunalium, & Imperatorum, qui cùm ea res in diſceptationem venit, eam legem ſecuti ſunt, judicia proferentur. Poſtremò id juris Regum Hiſpanorum authoritate, & decretis fuiſſe confirmatum oſtendemus.

V. Atque haud ſcimus an ullum magis idoneum authorem ingenio, & ſcientiâ præſtantiorem adhibere poſſimus, quàm illuſtriſſimum Kintſchotium Brabantiæ Cancellarium, qui patrum noſtrorum memoriâ floruit; nam is diem obiit anno milleſimo ſexcenteſimo octavo, ac ſummo fuit apud ſuos & honore, & nomine. Hic itaque de jure devolutionis ſic loquitur. „Conſuetudine

ne, inquit, generali Brabantiæ proprie- " tas bonorum feudalium devolvitur ad " prolem diſſoluto eo matrimonio, quo " ſtante bona ejuſmodi fuêre unius, vel al- " terius conjugum; ſive ſint patrimonia- " lia, ſive acquiſita: ita ut proles ſecundi " matrimonii in ſucceſſione parentis, qui " ſuperſtes fuit, nihil ex talibus bonis con- " ſequatur. Chriſtineus quoque magnæ " apud ſuos authoritatis & excellentis do- ctrinæ, teſtatur jus devolutionis in gratiam liberorum fuiſſe conſtitutum, atque eo- rum bonis hac ratione proſpectum. Ple- rumque enim evenit, ut novercæ patrum in natos caritatem dirimant, & quam na- tura peperit benevolentiam, non extin- guant modò, ſed etiam in odium acerbum ſæpe convertant [a]. His igitur malis Bra- bantina conſuetudo voluit ſubvenire, cum jus devolutionis induxit, quo bona utriuſque parentis ſoluto matri- monio ad liberos inſtar anticipatæ ſuc- ceſſionis perveniunt [b]. Idem alibi jus illud clariùs explicat, idque eſſe ejuſ- modi docet, ut matrimonio alterius " conjugum morte ſoluto, tam ſuperſti- " tis, quàm defuncti feuda communibus " liberis acquirantur [c]. Eâdem ratione

Reſponſ. 5. num. 1.

a Bona ſuperviventis conjugis, hic pro media parte matrimonio ſoluto devolvuntur ad liberos primi matrimonii, quia cum tranſitur ad ſecunda vota, ſolet cura eorum negligi, & illecebris ſecundi matrimonii amor priorum extinguitur, imo in odium plerumque convertitur. *In Conſ. Mechl. tit. 16. art. 24. in Addit.*

b Notandum hîc eſt quòd devolutio bonorum quæ fit per mortem alterius conjugum, fieri cenſetur quaſi per anticipationem ſucceſſionis, quoad proprietatem tantùm. *Ibidem. art. 4.*

c *Decis. Belg. lib. 6. de feudis, Deciſ. 62.*

quâ Criſtineus utitur Fredericus Sandeus in eo tractatu, qui præcipua, & indubitatæ fidei capita Brabantinæ conſuetudinis
„ complectitur. Nimirum ob honorem
„ primarum nuptiarum, & favorem
„ priorum liberorum Brabantiæ mori-
„ bus inductum eſſe, ut matrimonio poſt
„ mortem alterius conjugum ſoluto,
„ tam ſuperſtitis, quàm defuncti feuda
„ deferantur communibus liberis, ſalvo
„ tamen ſuperſtiti uſufructu feudorum ab
„ ipſo profectorum, ſive ex hæreditate
„ ſibi obvenerint, ſive ea labore & indu-
„ ſtriâ quæſierit [a].

a *In Conſ. Feudal. Geldriæ & Zutphaniæ, tract.* 1. *tit.* 1. §. 9.

VI. Jus quidem devolutionis in Brabantia uſurpari, tum legum, tum Doctorum authoritate ſatis demonſtratum arbitramur. Proximum eſt, ut ex infinitis propè exemplis, quibus id juris confirmari poteſt, unum item, & alterum proferamus. Magna olim, ut refert Criſtineus [b], inter liberos Comitis Bergenſis d hæreditate erciſcundâ orta eſt controver ſia, quæ quidem non in hoc poſita erat utrum patris feuda ad filiorum natu ma

b Secundùm conſuetudinem Brabantiæ eorumdem pater Comes Bergenſis, ſoluto matrimonio remanebit ſolùm uſufructuarius omnium bo norum, & quæ proprietas erat devoluta ad omnes liberos & ſic quæ proprietas prædictâ ratione dictorum bonorum in Bra bantiâ ſitorum, ſaltem pro majori parte erat devoluta ad dictu Philippum tanquam majorem natu, quam morte ſuâ tranſm ſit ad propinquiorem agnatum, &c. *Vol.* 1. *dec. Doct. An ni* 1532.

ximum

ximum, qui matri ſuperfuerat, devolutionis jure perveniſſent, ſolo uſufructu patri relicto: nulla enim hac in re fuit dubitatio; ſed illud utique tum in diſceptationem venit, atque in ſupremo Mechliniæ Conſilio magnâ contentione fuit agitatum, utrùm primogenito filio ante patrem extincto, ad eum qui natu erat proximus, à patre, an potius à fratre ea veniſſet hæreditas. Verùm illud, ut diximus, inter omnes, Criſtineo teſte, erat conſtitutum, & confeſſum, bonorum proprietatem poſt matris obitum ad primogenitum fuiſſe devolutam. Recenti quidem memoriâ Bergæ ad Somam Marchionatûs dominium Comes Arverniæ mortuo patre ſibi vindicavit, tametſi hic à matre quæ adhuc ſupererat, profectus eſſet, nihilo tamen minùs ſecundùm filiam Arverniæ Comitem Marchionatus proprietas fuit adverſus matrem judicata.

Ac ne Brabantiæ quidem Duces ab eâ lege publicè receptâ ſe liberos, ac ſolutos credidêre: ut ex eo libro qui de trophæis Brabantiæ inſcribitur, facilè intelligimus. Innumeris quippe exemplis conſtat nullam dominii principalis partem ab ullo Brabantiæ Duce poſt uxoris mortem, aut donatione, aut venditione, aut permutatione, aut fundatione denique citra conſenſum filii natu maximi diſtractam, vel alienatam VII.

 un-

[a] *In trophæis Brabantiæ pag.* 97. 104. 107. 187. 189. 190. 232. 238. & 448.

unquam fuiſſe [a]. Quin etiam Carolus V. Imperator cùm mortuâ conjuge præclarè intelligeret Brabantiæ dominium devolutionis jure ad Philippum filium deveniſſe; jura, conſuetudines, & privilegia illius Ducatus filio coram, atque eo conſentiente confirmavit.

VIII. Quid plura? id juris in Brabantia ita eſt uſitatum & certum, ut cum Regis Chriſtianiſſimi juſſu celeberrimus ejus Provinciæ Patronus, qua de re nunc agimus, mutatis quidem nominibus (neque enim in perſonis, ſed in re ipſa deliberandi cauſa erat) conſultus fuiſſet, omnino negaverit hanc cauſam quidquam habere dubitationis, cum Brabantiæ feuda, quæcumque ſint illa, devolutionis jure teneantur [b].

[b] Veu par le ſouſſigné Advocat du Souverain Conſeil de Brabant, & homme de Fief en ſa Souveraine Cour feodale en Brabant, le ſuſdit cas: L'advis eſt que par la mort de la premiere compagne de Titius, les fiefs ſuccedez audit Titius par la mort de ſa tante, tant ſituez par delà le bois de Soing que par deça, ſont devolus *in maſſa, ſive globo*, ſur les filles du premier lit, en ſuite du 22. art. de la Couſtume feodale de Brabant, obſervée tant par deçà que par delà ledit bois, ayant demeuré ledit Titius de ſes propres biens ſeulement uſufruitier hereditaire, laquelle devolution aprés la mort dudit Titius, eſt convertie en ſucceſſion: de ſorte que leſdits biens pour deux tiers aprés la mort de Titius, ſont ſuccedez à ſa fille aiſnée du premier lit, ou ſes enfans par repreſentation, enſemble le droit de prerogative, foitereſſe, chaſteaux, &c. le droit & pouvoir d'eſtablir moyens, &c. & aux deux autres filles du premier lit le reſtant tiers deſdits biens, emolumens & revenus, & enſuite du 21. article deſdites Couſtumes, à l'excluſion des fils & filles du ſecond lit, & ce à cauſe que le droit de devolution eſt obſervé *ab inteſtato*, & inviolablement au regard des fiefs ſcituez en Brabant. Ainſi adviſé en Bruxelles le 3 May 1664.

Quòd

Quòd ſi à vetuſtiſſimis temporibus ad noſtram uſque ætatem rerum geſtarum velimus, & annalium monumenta retexere, nihil profectò liquidius, nihil conſignatius hoc devolutionis jure comperiemus. Cum enim res in contentionem venit, ac de ſucceſſione in Ducatum Brabantiæ orta eſt diſceptatio, ſemper ex eo jure, & inveterata conſuetudine illa fuit Imperatorum authoritate judicata. Cujus generis duo poſſunt proferri judicia, ſed maxima. Primum extat in M. S. codice linguâ Flandricâ exarato, idque refertur ab Henrico qui tum imperabat, in epiſtola ad Henricum I. Brabantiæ Ducem. Illius quoque meminit Rodolphus I. Imperator in epiſtola quam ad Joannem I. Brabantiæ Principem anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo tertio conſcripſit: quo quidem loco Rodolphus mirum in modum hoc jus devolutionis, etiam in Principum ſucceſſione confirmat. Alterum non minoris utique authoritatis in eo quem identidem laudavimus libro de trophæis Brabantiæ fusè deſcribitur; idque in publicis Brabantiæ tabulis aut monumentis etiamnum aſſervatur; quod cum huic quam tractamus cauſæ, ſit conjunctum maximè, ſilentio utique non eſt prætereundum. In hæc penè verba judicium Imperatoris conceptum eſt.

IX.

Anno 1222.

a Butken. in troph. Brabantiæ.

„ eſt a. Henricus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus omnibus „ ad quos præſens ſcriptum pervenerit „ gratiam ſuam & omne bonum. Notum facimus quòd cum Henricus „ major filius illuſtris Principis, Ducis Lotharingiæ, matrem habuerit, „ & illa ſit mortua, per ſententiam „ Principum in curia noſtra eſt judicatum, Quod ſi idem Dux de bonis quæ poſſidet, aliquid alienaret, „ vel in manus vellet transferre alienas, „ dictus Henricus ſe de iiſdem bonis poſſet intromittere & occupare licenter ad „ uſus ſuos & tenere. Datum Fridbergæ „ anno gratiæ milleſimo ducenteſimo „ triceſimo proximâ Dominicâ poſt Feſtum Paſchæ 4. Calendas Maii, Indictione tertiâ.

X. Jam ſi à priſcis illis temporibus ad ea quæ nobis propiora ſunt, veniamus; jus illud perpetuum fuiſſe, & conſtantiſſimè obſervatum inveniemus. Nec aliunde nobis exempla, quàm à Regibus Hiſpaniæ ſumenda ſunt. Cum Philippi II. Regis Hiſpaniarum juſſu anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo, variæ Belgii conſuetudines in unum velut corpus redigerentur, jus devolutionis nequaquam fuit prætermiſſum: cum tamen ex ipſa præfatione conſtet receptiſſimas dumtaxat, & ma-

magis uſitatas conſuetudines hoc opere contineri. Ex quo intelligitur id juris in conſuetudine, & moribus Brabantiæ Regiâ authoritate conſentiente verſari. Illud quoque, ut alia omittamus, maximè confirmat celeberrimum Archiducis Alberti edictum anno milleſimo ſexcenteſimo undecimo promulgatum, quo quidem declarat eorum qui Reipublicæ decoxerunt, & " pecuniæ publicæ rei ſunt, bona Prin- " cipi ſic pignori, vel hypothecæ eſſe " oppoſita, ut is omnibus aliis præfera- " tur. Ac ne jure quidem devolutionis, " quod in quibuſdam provinciis obti- " net, & in gratiam liberorum mor- " tuo conjugum altero inductum eſt, " eorum qui inter ærarios numeran- " tur filios uti poſſe, niſi ante deductis, " quæ fiſco debeantur. Atque hinc li- " quet quanta ſit hujus conſuetudinis authoritas, cujus exceptione etiam adverſus Principis jura, & conſtitutum hypothecarum ordinem Belgæ uterentur: tametſi Archiducis decreto cuncta ſint ad communis juris normam revocata.

Hanc denique conſuetudinem non mediocriter confirmat Philippi IV. decretum anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo tertio editum, quo in filios, qui præter parentum voluntatem, aut XI.

„ conſilium matrimonia contraherent, „ graviter animadvertit, eoſque legis „ beneficio, ſeu devolutionis jure ſic „ mulctat, ut liberam bonorum admi- „ niſtrationem & dominium parenti „ ſuperſtiti reſtituat, dummodo id frau- „ di non ſit aliis liberis, quorum jura „ ſervantur illæſa; quique devolutionis „ jure poſſunt in parentum bona ſucce- „ dere [a]. Non potuit Rex Catholicus jus devolutionis ſanctiori lege conſecrare; hoc quippe legis beneficium ingratis filiis abjudicavit, ne jus quod filiorum causâ comparatum eſt, in parentum contemptum cederet. Pulcrè etiam cavit liberis qui eâ ſunt, quâ debent in parentes pietate, & obſequio, ne his noxæ futurum eſſet quod ab aliis peccatum fuit, nec malorum contagio boni contaminarentur: neque enim par fuit iis qui nihil parentes violarunt, quod leges patriæ, quod mores concedunt, detrahere.

[a] Avons en outre permis, & permettons que leſdits enfans de famille qui contracteront deſormais contre le gré, ou à l'inſceu de leurs pere & mere, puiſſent pour telle irreverence eſtre par iceux leurs pere ou mere & chacun d' eux exheredez & privez de leurs ſucceſſions, & biens ſans pouvoir aucunement quereller l' exheredation qui ainſi ſera faite, ni pretendre auſdites ſucceſſions ſous pretexte de legitime dot, alimentation, ou devolution couſtumiere des biens procedez du dernier vivant deſdits pere ou mere, qui pourra priver ſon enfant ainſi ingrat, & deſobeïſſant du droit & frui d'icelles, ſans prejudice neantmoins d'autres auſquels leſdit biens pourroient eſtre affectez en vertu de la meſme devolution.

XII. Nec video quid planum fieri vel te-

ſtibus

ſtibus, vel exemplis poſſit, ſi hoc jus devolutionis non poteſt. An legum, & conſuetudinum conſentiente authoritate non contenti luculentiora exſpectamus documenta? Jus illud publicum eſt, perpetuum, Imperatorum, & Regum decretis firmatum. Cur una ex omnibus omnium ætatum Regina Chriſtianiſſima hoc legis præſidio, hoc jure privabitur? Ex prioribus nuptiis ſola ſupereſt; Ducatûs Brabantiæ dominium ex quo Regina Eliſabetha fato functa eſt, à Rege Catholico ad Principem Balthaſarem, hinc ad Reginam Chriſtianiſſimam fuit devolutum; nec quicquam eſt ulli tam ſuum, tam patrium, tam exploratum, quàm Brabantiæ principatus ad Reginam pertinet. Quid contra tam perſpicua, & penè ante oculos poſita, niſi vana prorſus, & futilia afferri poſſunt? Quæ ſuffugia Conſilium Hiſpanicum, quas poteſt argutias aucupari? Quid demum opponet, quod conſuetudo ipſa, mores, & inſtituta Provinciæ, quod communis hominum ſenſus non refellat? Dicet forſitan jus devolutionis ad quæſita ſolum bona, non ad profectitia, aut paternas hæreditates ullo modo pertinere? Verùm huic defenſioni conſuetudo ipſa articulis 2. & 16. capitis 1. maximè repugnat. His enim ſancitum eſt nihil à ſuperſtite conjugum præter

rerum ſuarum uſum-fructum hæreditarium poſſe retineri, dominio omni ad ſobolem tranſlato [a]. Contrà eſt etiam Doctorum omnium authoritas: ex quibus Sandeus nihil referre ait, utrum bona illa profectitia ſint, an adventitia; quæſita fuerint, an jure hæreditario obvenerint [b]. Sed omnium longè Princeps Kintſchotius, quem meritò Belgæ ut præcipuum legum ſuarum interpretem venerantur, quæcumque illa ſint feuda ſuperſtitis, ad liberos ſtatim devolvi, ut rem certam, & teſtatam docet [c]. Sentiunt quidem Doctores cum Henrico Imperatore, & aliis Imperii Principibus, qui jus devolutionis adverſus Brabantiæ Ducem, qui hunc Principatum à patre acceperat, authoritate ſuâ, ut diximus, comprobarunt.

Vidua ſuorum feudorum integrum uſumfructum habet cum liberi ſuperſunt.

a Proprietas feudorum provenientium ex latere ſuperſtitis devolvitur, &c.

b Servato ſuperſtiti uſufructu feudorum ab ipſo profectorum, ſive ex hæreditate ſibi obvenerint, ſive ex induſtria quæſierit. *In Conſ. Geldriæ & Zutphaniæ tract.* 1. *tit.* 1. §. 9.

c Proprietas feudorum devolvitur ad prolem diſſoluto matrimonio, ſive ſint patrimonialia, ſive acquiſita. *Reſponſ.* 65. *num.* 1.

XIII. Quid ergo, an jus devolutionis maribus quidem, non fœminis fuit comparatum? Verùm hoc commenti articulis 2. & 3. ejuſdem conſuetudinis refellitur; his enim omni ſexûs ſublato
„ diſcrimine ſtatuitur, ut proprietas mor-
„ te filii, vel filiorum devolvatur ad ejuſ-
„ dem, vel eorumdem liberos, & iis
„ deficientibus ad fratres, vel ſorores.

Hinc

Hinc gloſſa utrumque ſexum his legibus æquè contineri declarat : Nempe " proprietatem ſic liberis , nepotibus, vel " fratribus , aut ſororibus decedentis, vel " deficientis ante ſuperſtitem parentem " denuo cum uſufructu conſolidari , ac " proinde ob ſpem rediture proprietatis " hæreditarium uſumfructum vocari. " Sandeus eo quo ſupra diximus loco, liberis decedentibus ad nepotes , vel fra- " tres , vel ſorores jus devolutionis tranſ- " mitti apertiſſimè teſtatur. Quodque ſuperiùs de Arverniæ Comite adduximus exemplum liquidò demonſtrat , ſequiorem ſexum ab eo jure excludi non oportere. Plura conſultò omittimus : nam veremur ne hæc ipſa nimium multa eſſe videantur , cum res adeò ſit manifeſta ut nullis egeat argumentis

At fortè nihil devolutionis juri in familiam dominatricem licêre pertendent. XIV.
Sed quàm iniqua ſit illa defenſio, cùm Imperatoris , & Principum Germaniæ judicium, tum alia ejus generis quæ Butkenus refert exempla demonſtrant. Prӕterquam eodem ſunt jure & feuda , & Principatus, niſi quæ forſan Imperii lex obſiſtat, ut multis ſupra rationibus , & teſtimoniis oſtenſum fuit ; neque neceſſe eſt in iis quæ perſpicua ſunt , & uberrimè tractata, diutiùs immorari.

XV. Quamobrem Hiſpani in ſummas anguſtias adducti, hanc unam defenſionis rationem tentare, & deſperatiſſimo hoc uti perfugio videntur. Negari quidem non poſſe quin devolutionis jure filia in feuda quæque parentis ſuperſtitis ſuccedat, dummodo filius ex ſecundis nuptiis non fuerit procreatus. Nec ullum putant afferri exemplum poſſe, quo virilem ſtirpem ex poſterioribus nuptiis genitam, filia ex ſuperiore orta connubio Brabantini Ducatus poſſeſſione excluſerit.

XVI. Hoc dicere turpius eſt, quàm illud quod volunt, non poſſe defendere. Nihil enim afferri poteſt, quod legibus, quod moribus Provinciæ, quod hiſtoriarum monumentis, quod rationi denique magis repugnet. Ac primùm quæ ſit juris devolutionis natura, quæ vis, quæ ratio, qui effectus, ii videntur penitus ignorare, qui filiam ex priori matrimonio genitam feudorum poſſeſſione à filio ex ſecundis nuptiis nato dejici contendunt. Nam ubi alter conjugum diem obiit, feudorum omnium proprietas liberis unà tranſmittitur. Quo itaque modo, quâve ratione filius ex poſteriori natus conjugio filiam ex ſuperiori ortam quæſito jure depellet, eamque exuet dominio, quod lex ipſa, quod patriæ mores antè conceſſerunt? Id qui-

quidem communi jure [a] non magis in gratiam liberorum, qui ex prioribus ſunt nuptiis prognati, quàm in odium poſteriorum nuptiarum eſt uſitatum, ut parentes, qui alteras nuptias ineunt, bonorum ſuorum dominio ſaltem ex aliqua parte mulctentur, quò damnum prioribus liberis illatum quâdam ratione expleatur. Sed quo exemplo, quo jure, quâ demum conſuetudine, quæ ex alterius parentis morte liberis obvenêre bona, iiſdem poſt iteratas nuptias eripientur, ut in alios ex noverca procreatos conferantur? Nihil profectò bonis moribus, vel religioni ipſi poteſt magis eſſe contrarium, quàm poſteriores nuptias ſic prioribus anteponere, ut qui ex his orti ſunt, fortunas ſuas, & patrimonia aliis mox naſcituris cedere teneantur. Hîc prudentiam eorum qui iſta rationum portenta edunt in publicum, vehementer requirimus, quòd non ante proviſa, ſed abrupta, atque ut in manum venêre, tela contorqueant.

[a] *L. Edictali. Cod. de ſec. nuptiis. L. Fœmina, Cod. eodem.*

Quid eſt enim quod omnium mentes magis reſpuant, quàm ut pater bonorum dominio exutus poſt ſecundas nuptias, velut jure quodam poſtliminii id recuperet; & quod liberis ſoluto matrimonio lex tribuerat, iiſdem poſt iteratas parentis nuptias mox eripiat, quò in naſcituram ex poſteriori connubio ſobolem XVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

bolem tranſmittat? An ſubtiliore nobis opus eſt ratione ad hæc refellenda? Jus devolutionis adverſus poſteriores nuptias ad ſuperiorum utilitatem fuit conſtitutum, quî poteſt igitur liberis qui ex ſecundis nuptiis naſcentur prodeſſe, aliis autem eſſe detrimento? niſi fortè quis exiſtimet legem ſibi ipſi adeo repugnare, ut rem eamdem jubeat ſimul, & vetet; & quod pœnæ loco conſtituit, id ſimul in præmium convertat: quo quidem nihil dici poteſt inſcitius. Neque enim ea lex unà cum ſæculis, ætatibuſque hominum inveterare potuiſſet, aut tam ſtabilis permanere, ſi hæc non modò non cohærentia, ſed disjuncta maximè, & contraria ſanxiſſet. Nam cedo, quid ſibi velit jus devolutionis, quò ſpectet ea conſuetudo, niſi ut prioribus nuptiis conſulatur, atque earum decus, vel dignitas ſervetur, poſteriores verò, quoad fieri poſſit, arceantur? Hæc una videtur eſſe conſuetudinis ratio, hoc conſilium. Quo autem id modo conſequetur, ſi jus liberis ex ſuperiori matrimonio natis conceſſum adimat, idque aliis, qui ex poſteriori connubio ſunt procreati, incredibili levitate, & inconſtantiâ tranſmittat? Quorſum parentis ſuperſtitis feuda liberis ex priori connubio prognatis mancipantur, ſi eadem mox naſcituris ex ſecundo matrimo-

nio

nio ii reddere compellantur? Quæ ſunt illæ ambages, aut legum ludibria parentem feudi ſui dominio depellere, in liberos conferre, his rurſus detrahere, & aliis condonare? An non id omne puerile eſt, perridiculum, & huic conſimile quod apud Comicum legimus;

Terentius in Phormione.

——— cedo, cape.
Quod dictum indictum eſt, quod modò
erat ratum, irritum eſt.

XVIII.

Cum itaque parentes feudorum dominio conſuetudo dejecit, ne fortè ii ad ſecundas nuptias animum adjungerent; cùm natis jam liberis ea tradidit bona, quo illi eſſent adverſùs ſecundi connubii injurias tuti; non id eò fecit ut parentibus poſt repetitas nuptias redderentur. Nam liberis proſpectum à lege fuit, ne quid detrimenti caperent; hæc parentis voluntati, dicam, an libidini voluit antevertere: an peractis nuptiis quos ſummo ſtudio lex, ſummâ indulgentiâ tueri voluit, ſic deſeret; ut illi futuræ ex noverca ſoboli bona jam ad ſe delata tradere cogantur? Quæ eſſet illa perverſitas, ut metus ſecundarum nuptiarum, aut tenuis quædam ſuſpicio tantâ ſeveritate plecteretur, re autem perfectâ nulla pœna ſequeretur? Cur patri bona adimuntur, cum

de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

de ſecundis nuptiis necdum cogitavit, re ſecutâ omnino reſtituuntur? Conſuetudo liberorum incolumitati conſuluit, antequam ulla adhuc iis facta eſſet injuria; neque iiſdem proſpexit cùm gravi ſunt perculſi vulnere, cùm noverca eſt ſuperinducta? Quòd ſi hæc vero ſimilia non ſunt, ne illud quidem eſt hæc unde fluxerunt; jus quippe devolutionis liberorum cauſâ, ut ſæpe diximus, inductum fuit; & tamen, ſi Conſilium Hiſpanicum audiamus, in eorum perniciem cedit; ac plus ſecundis, quàm prioribus nuptiis favet. Quærere enim juvat cur conſuetudo feudorum dominia in liberos conferat; cur iis parentes exuat ſuperſtites; quod illius ſit conſilium, quæ ſententia, niſi ut prioris connubii proli caveatur, ut noverca, & poſterioris matrimonii liberi bonorum poſſeſſione excludantur? Nec alia quidem eſſe, aut fingi poteſt hujus conſuetudinis ratio. Id ſi ita eſt, jam ipſi viderint Hiſpani quàm malè ſibi conſtet ea conſuetudo, ſi ad eos qui ex ſecundis nuptiis orti ſunt, fructus omnis, & legis utilitas perveniat, ſuperioris connubii ejectâ prole, ſecundùm quam lex ipſa fuit conſtituta.

XIX. Jam fingamus animis non conſuetudine, non municipali jure, ſed parentum voluntate, ſeu dotali inſtrumento, ſeu legitimâ donatione feudorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

dominia in ſobolem ex prioribus nuptiis genitam eſſe collata, atque unicam ex iis filiam ſupereſſe. Illud itaque ab Hiſpanis requirimus, an qui fortè ex poſteriori connubio naſcetur filius poſſit ea feuda ſibi jure vindicare, poſſeſſione filiam movere, & donationem ipſam reſcindere? Nemo, ut putamus, ſanæ mentis id contenderit. Jam cedo, utra iſtarum ſit magis legitima, & firma donatio, quæ à lege, an quæ à parentum voluntate profecta fuit? Hanc mutabilem, incertam, nec ab omni ſuſpicione fraudis, aut levitatis immunem eſſe conſtat. Nihil horum cadit in eas donationes quæ legis authoritate ſunt conſtitutæ; fixæ manent, conſtantes, inconcuſſæ, non in flexibili hominum voluntate, non in vaga, volubilique fortuna poſitæ; & quod maximum eſt, ab omni ſecundarum nuptiarum injuria ſunt in tuto collocatæ. Lex quippe abhorrere quodammodo ab iis nuptiis, atque à liberis inde procreatis alienior videtur, eoſque ut legitimæ cujuſdam incontinentiæ, & conceſſæ libidinis prolem conſiderat, neque ut ſuos complectitur. Contrà propenſior multò eſt in eos qui ex primo nati ſunt connubio, hos tuetur, his favet, his conſulit. Ejecta itaque & exploſa eſt Hiſpanorum illa defenſio, quâ mortuo conjugum altero, quæ fuêre ſuperſtitis feuda ad filiam, ſi nulla ſit ex illo connubio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

bio relicta virilis ſoboles, ita devolvi putant, ut inde ad liberos, ſi qui ex poſterioribus nuptiis futuri ſint, ſtatim transferantur. Quaſi horum cauſâ hoc juris ſit conſtitutum, aut lex eorum rationem tum habuerit, cum parentem ſuperſtitem omni feudorum alienatione prohibuit. Quid enim ſi filia ipſa ſine prole moriatur? An illud dubium eſt quin feudorum proprietas ad parentem, cujus ante hæc bona fuerunt, ſic recurrat, ut jam illius mancipii jure ſint, eaque arbitratu ſuo poſſit diſtrahere? Nam quæ parenti adempta fuit bonorum proprietas, extinctâ quæ ex prioribus nuptiis una ſupererat filiâ, ad eum mox revertitur: tametſi ex poſteriori conjugio virilem prolem ſuſceperit. Quid igitur illam patri rerum alienandarum facultatem priùs eripuit, quid in cauſa fuit cur is optimo jure ſua feuda non poſſideret, niſi quæ ex ſuperiori connubio filia eſt procreata? ad eam quippe feuda ſunt legis authoritate devoluta. Hoc velut ſufflamine, atque obice remoto, jam pater bonorum ſuorum non ſolùm uſufructu, ſed mancipio quoque, & nexu dominus eſt. Ergo filia ſibi uni hoc dominium devolutionis jure quæſitum ſtatim à parentis morte poſſeſſura, non poſterioris matrimonii virili ſtirpi quaſi quodam fiduciario jure conſervabat. Quid enim eſt quod minùs probari poſſit, quàm ut

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

in gratiam filiæ quæ hæreditatem non cernit, pater omni bonorum alienatione prohibeatur; nec legitimi tamen hæredes obſtare poſſint quominus ille res ſuas, ut viſum fuerit, aut donatione, aut venditione in alienos conferat? Iſta profectò non cohærent. Alterius conjugis morte feudorum proprietas ad filiam, tametſi hæc ſola eſt, omnino devolvitur, nihil quàm uſumfructum pater retinet; nihil de ſuis bonis poteſt diminuere; ſi fortè filia deceſſerit, ad patrem recurrit proprietas, etiamſi ex novo connubio ſobolem ille ſuſceperit. Jam ſi Deo placet, nobis perſuadebunt ea feuda filiæ non fuiſſe ante quæſita, non ad illam delata, nec denique ad eam ſi vixiſſet, ſed magis ad poſterioris connubii liberos perventura; horum dumtaxat à lege habitam eſſe rationem, filiâ ex prioribus nuptiis omnino neglectâ. An non hæc ſunt portentis ſimilia?

XX.

Kintſchotius Brabantiæ Cancellarius author eſt poſterioris matrimonii prolem ab omni poſſeſſione, & proprietate feudorum, quæ ſunt ad priores liberos devoluta abſque ullo ſexûs diſcrimine penitus removeri [a]. Sandeus quoque feudorum proprietatem ad communes liberos devolvi, & iis decedentibus ad nepotes, vel fratres, vel ſorores tranſmitti, ut rem manifeſtam, & uſitatam tradit.

[a] Ita ut proles ſecundi matrimonii in ſucceſſione parentis, qui ſuperſtes fuit, nihil ex talibus bonis conſequatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

a Loco cit.

tradit [a]. His quidem adjungamus Clariſſimi Stockmans, qui nuper de jure devolutionis tractatum edidit, teſtimonium. Id quidem eò plus ponderis eſt habiturum, quò majore contentione Reginæ Chriſtianiſſ. jura vir magnæ apud ſuos authoritatis, & Regi Catholico à Sanctioribus Conſiliis oppugnare conatus eſt. Is itaque diſertiſſimè teſtatur jus devolutionis adeo prioris connubii liberis favêre, ut filia ex prioribus nuptiis mares ex poſterioribus genitos bonorum quæ ſunt devoluta, poſſeſſione penitus excludat [b]. Quòd autem ſubnectit ea ratione plerumque evenire, ut vetuſtæ familiæ collabantur, neque aliud huic incommodo eſſe remedium, quàm renuntiationis pactum, hoc ipſum quod volumus maximè confirmat: nihil eſſe in ea Provincia magis uſitatum, quàm filiam ex priori natam connubio in parentis ſuperſtitis feuda ſuccedere, etiamſi ex poſteriori mares fuerint procreati. Quæque hoc loco de pactis renuntiationum fuſè diſputat, ab hac quæſtione omnino ſunt ſejuncta. Ac ne illa quidem ſubtilitatis argumenta, quibus proprietatem bonorum quæ devoluta ſunt ad liberos non pertinere, eamque penes parentem ſuperſtitem remanere contendit, hoc loco expendimus. Etſi enim hæc multis modis reprehendi poſſunt, tamen quod dat accipimus, *jure devolutionis*

b Jus devolutionis quod viget inter privatos, adeo benignum eſt liberis primi thori, & tam alienum à liberis ſecundi thori, ut ſi contingat unicam ſupereſſe filiam ex primo, & maſculum ex ſecundo, filia maſculum omnino excludat à bonis devolutis.
P. Stockmans cap. 18. de jure devol.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

lutionis bona ſuperſtitis addicta & affecta eſſe liberis ex priori matrimonio natis proprietate tenus, conſuetudine injiciente vinculum ſuperſtiti, ne ea alienare poſſit [a]. Ac ne illud quidem inficiamur parentem ſuperſtitem bona ſua poſſidere, atque ad eum liberis extinctis feudorum dominium recurrere. Sed quâ ratione hinc concludi poſſit bonorum proprietatem alterius conjugum morte ad liberos non eſſe delatam, ne conjectura quidem aſſequi poſſumus: niſi fortè velit aut doarium liberis, aut rem ea lege donatam, dum ſuperſtes fuerit donatarius, ipſi donatario non mancipari. Fatetur quidem & conſuetudinem, & interpretes ubique proprietatis nomen uſurpare, eamque in liberos tranſmittere, bonorum uſufructu conjugum ſuperſtiti relicto; quid eſt igitur cur tam dilucidas, & manifeſtas legum voces & Doctorum teſtimonia in contrarium ſenſum detorqueat? Cur nervos omnes contendit ut perſuadeat nihil liberis præter certam ſucceſſionis ſpem accedere, nihil adimi parentibus præter alienandi poteſtatem? Nec demum neceſſe eſt hoc loco diſputare, an ſatis habuerit cauſæ cur illuſtre Cameræ Imperialis Spirenſis judicium à Myſingero relatum, quo non ſatisfacere patrem pro-" miſſioni certæ dotis, aſſignando filiæ" bona devoluta fuit judicatum, in invidiam

[a] Apud omnes quidem gentes cultiores eſt aliquis honos & prærogativa primarum nuptiarum, & liberorum qui ex iis geniti ſunt; ſed nuſquam tanta quàm apud Brabantos, & vicinas aliquot nationes, apud quas diſſoluto primo matrimonio, ſive ſecundum ſequatur, ſive non, liberis iſtius thori obveniunt bona omnia immobilia utriuſque parentis; prius quidem defuncti per legitimam ſucceſſionem inteſtati, ſuperſtitis viventis per devolutionem, cujus vi bona illius addicta, &c. *Idem c.* 1.

diam vocaret[a], ac judices vulgari errore lapſos, & à vero abreptos inſimularet. Hoc utique ipſi viderint. Sed dabit nobis hanc veniam vir clariſſimus, ſi plus apud nos valeat legum municipalium authoritas, Interpretum conſenſus, & celeberrimi Senatûs judicium, quàm unius Doctoris ſententia, quem & ſtudium partium & ſuſceptæ cauſæ amor potuit tranſverſum agere, & à recto itinere deducere. Verùm hactenus ſatis fuerit evagari. Redeundum igitur eſt unde ſumus egreſſi.

a In indagandâ naturâ devolutionis, vulgari errore abrepti ſunt à vero doctiſſimi judices, perſuaſi proprietatem bonorum devolutorum revera eſſe penes liberos, & uſumfructum ſolum reſidere apud patrem: quem popularem errorem nos ſatis ſuperque refutaſſe ſupra exiſtimamus, rem ipſam ſecuti potius interpretatione noſtrâ, quàm verborum corticem. *Idem cap.* 17.

XXI. Ac fruſtra quidem tot argumenta, & teſtimonia colligimus, cùm articulo tertio capitis primi, res omnis dilucidè ſit explicata. Eo quidem ſancitur ut „ſi fortè eis, cui parentis ſuperſtitis feu„da devolutionis jure mancipantur, ſine „prole deceſſerit, tum ejus fratres, & „ſorores in illius vicem ſuccedant, atque „ad eos perveniat feudorum proprietas. Ex quo efficitur liberos ex prioribus nuptiis procreatos ſibi invicem ſuccedere, ac poſterioris connubii ſobolem devolutionis jure, aut feudorum dominio penitus excludi. Quòd ſi id nondum ſatis intelligunt Hiſpani, tametſi res ipſa tot tamque claris argumentis lucet, admo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

nendi ſunt duo eſſe genera feudorum ab eadem conſuetudine diſtincta; alterum eſt eorum quæ ante ſolutum matrimonium ad ſuperſtitem pertinebant; alterum eorum quæ eidem poſt ſecundas nuptias obvenêre, aut quacumque ratione quæſita ſunt. Superioris quidem generis feuda ex artic. 2 & 3. ejuſdem capitis ad communes liberos, qui ex priori connubio ſunt oriundi, ita devolvuntur, ut ſi fortè qui in feudorum dominium ſucceſſerat, ſine prole moriatur, tum eadem proprietas, ut diximus, ad ejus cum fratres, tum ſorores pertineat. At feudorum quæ poſterioris connubii tempore obvenerant alia longè eſt ratio; nam ex articulo ſexto ſecundi matrimonii ſoboles ab eorum poſſeſſione non excluditur, niſi fortè filius ex prioribus nuptiis ſuperfuerit; ad quem ea quoque feuda omnino deferuntur.

His ita conſtitutis jam illud confectum arbitramur, nullam eſſe filii ex poſterioribus nuptiis geniti præ filiâ ex ſuperiori ortâ connubio prærogativam. Cum enim articulo 2. feudorum proprietas ad prioris matrimonii ſobolem devolutionis jure pertineat; cumque articulo 3. utriuſvis ſexûs liberi ex eodem connubio nati ſibi mutuo ſuccedant; profectò id ſequitur nullo unquam jure filias ex prioribus nuptiis XXII.

genitas à ſobole poſterioris matrimonii feudorum proprietate depelli. Fac enim ita eſſe; jam utique ſuperioris connubii utriuſque ſexus liberi ſibi mutuò non ſuccedent; nec feudorum proprietas ex aliis in alios commeabit; nec ſoror denique fratris, aut ſororis cernet hæreditatem. Quod tamen conſuetudine ipſâ, moribus, & Doctorum ſummâ conſenſione refellitur. Sed neque hujus conſuetudine ratio conſtabit, ſi filius ex poſteriori matrimonio filiæ ex priori genitæ quæſitam feudorum proprietatem extorqueat. Quod enim ſæpè dicendum eſt, non aliud iis qui hanc legem condidêre propoſitum fuit, quàm ut ſuperioris connubii proli caveretur, ne quid illi repetitæ nuptiæ obeſſent. Quæ quidem multùm eos fefellit ratio; ſi prioris connubii filiam virilis ex poſteriori ſoboles feudorum proprietate dejiciat. Non enim illius filiæ aut fortunis, aut indemnitati ſatis à conſuetudine proſpectum eſt; nec quicquam emolumenti ex devolutionis jure illa conſequitur; quin potiùs hoc juris plurimùm iis proderit contra quos fuit inſtitutum, & filiam cujus gratiâ fuit comparatum, quamque indemnem præſtar debet, omni poſſeſſione, & delatâ jam hæreditate ſpoliabit: quo quid abſurdius aut à voluntate legis, atque ab omni Ju riſprudentiâ alienius afferri poteſt? Non enim, ne id fortè Hiſpanos fallat, hî

agitur

agitur, uter ſexus alteri ſit præferendus; non ea utique res nunc in diſceptationem venit: ſed nuptiæ, & connubia ipſa inter ſe comparantur, ac prioribus quidem majorem à conſuetudine honorem habitum fuiſſe meritò contendimus: niſi ſi quis fortè ita abſurdus eſt, ut putet ſequiorem ſexum ſic à conſuetudine neglectum, & deſpectum fuiſſe, ut ei minimè cautum, aut conſultum voluerit. Quaſi leges illatas huic ſexui magnâ ſeveritate non vindicent injurias, aut ejus ſolitudinem & imbecillitatem omni curâ, & indulgentiâ non defendant. Quid enim eſt dignius legum prudentiâ, & æquitate, quàm ut iis provideant, quæ conſilio, & viribus minùs valent, quæque ſeipſas tueri non poſſunt?

Sed deſinamus his communibus locis, & ad noſtram nos conſuetudinem referamus: quæ quidem ſic natos ex poſteriori connubio abjecit, ut feuda etiam poſt repetitas nuptias parta & quæſita, ſuperioris matrimonii virili ſtirpi concederet; nedum ea prioribus liberis poſteriores antepoſuit, aut illorum fortunis, horum opes augere cogitavit. XXIII.

At lex ipſa poſterioris matrimonii virilem prolem filiâ ex prioribus nuptiis ortâ voluit eſſe potiorem. Non ita eſt; XXIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

nam ſi hæc eſſet legis ſententia, articulo 6. neutiquam eſſet prætermiſſa. Cum enim eo loci ſanciretur ut filius ex ſuperiori connubio procreatus in feuda quæ poſteriori conſtante matrimonio obvenêre ſuccederet; tum res ipſa admonebat ut id quoque ſtatueretur, feuda prioris connubii temporibus aut quæſita, aut hæreditario jure ad parentes delata, ſi fortè mares ex prioribus nuptiis deficerent, ad eos qui ex ſecundis naſcerentur, pertinere. Verùm id omnino omiſſum fuit, neque ſtatuere id potuit conſuetudo, niſi ſecum ipſa pugnaret: ſiquidem articulo tertio ſanxit ut utriuſque ſexûs ſoboles ex priori nata conjugio ſibi mutuo ſuccedat; neque, ut diſertè explicat Brabantiæ Cancellarius, quæſita devolutionis jure feuda prioris connubii ſoboli, ad prolem ex poſterioribus nuptiis genitam poſſunt unquam pervenire.

XXV. Hæc itaque ſit ſumma concluſionis noſtræ: aut conſuetudinis articulus ſecundus, qui ſimul atque extinctus eſt alter conjugum, eum qui ſupereſt feudorum dominio dejicit, idque in communes liberos tranſmittit, omnino eſt expungendus; aut fatendum eſt filiam ex ſuperiore connubio non poſſe à filio ex poſteriori prognato feudorum quæſitâ proprietate depelli. Quo enim jure hanc ſibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ſibi vindicabit? An fortè hæredis nomine delatam à patre poſſeſſionem aditurus eſt? Sed illi maximè cum leges in univerſum, tum ipſa Brabantiæ conſuetudo adverſatur. Nunquam enim pater qui ſecundas iniit nuptias, in ea bona ſuccedit, quæ aut jure, aut moribus ad prioris connubii liberos devenerunt: niſi fortè omnes liberi ante deceſſerint. Hoc jure civili vetitum eſt, hoc Doctores unanimi conſenſu definiunt. Rationem affert Antonius Faber ſingulari vir prudentiâ ac doctrinâ, quique olim ſupremo Sabaudiæ tribunali magnâ cum laude præfuit quòd ubi unus ex liberis naturæ conceſſit, illius portio accreſcat ſuperſtiti. Sed illam non poteſt ſperare accretionem, qui in partem non vocatur, cuique nulla obtigit portio. Hoc omnium penè populorum judicium eſt; ſic enim leges cujuſque Provinciæ municipales de doario, & conjugalis communitatis prorogatione decernunt; ac prioris quidem connubii ſoboli cùm doarium, tum continuatæ communionis pars accreſcit; neque in hæc bona parentes ullo modo niſi omni extinctâ prole ſuccedunt.

Jam ut in eâ quæ nunc nobis eſt in manibus cauſâ hæreamus, Rex Catholicus Brabantiæ Ducatum ut ſibi à patre hæreditario jure delatum vindicare XXVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

nullo pacto poteſt: cum antequam is naſceretur lex ipſa, aut patria conſuetudo illius Ducatus proprietatem Regi Catholico patri detraxerit, eamque in liberos ex prioribus nuptiis prognatos contulerit. Quocirca Ducatus Brabantiæ ad Principem Balthaſarem primùm devenerat, inde ad Reginam Chriſtianiſſimam hæreditario jure manavit, neque ad ſucceſſionem Regis Catholici Philippi IV. nullo modo pertinet. Nam ut Guido Papa, Rolandus à Valle, Antonius Faber, & alii maximi, plurimique authores tradiderunt; ac demum conſuetudinis articulo tertio decernitur, utriuſque ſexûs liberi ſibi invicem ſuccedunt, & decedentium morte bonorum proprietas aliis relinquitur, nec retrò ad parentes, niſi omni ſobole extinctâ recurrit. Quid ergo? an forſitan Rex Catholicus fratris Balthaſaris hæreditatem petet? Ac ne illud quidem verè dici poteſt, Regem Catholicum fratris Balthaſaris hæredem eſſe oportere. Primùm enim legum, & conſuetudinis authoritate planum fecimus prioris connubii liberos aliis eſſe jure potiores; vel quòd germani ſint, nec tantùm conſanguinei, ſeu ex altero dumtaxat parente oriundi; vel quòd ea ſecundis nuptiis pœna eſt à legibus conſtituta: utramque enim cauſam affert Merlinus magnæ inter Doctores authoritatis. Idque conſuetudinis articulus ter-

tius,

tius, quem ſæpe adduximus, maximè confirmat. Huic accedit Hannoniæ conſuetudo, quæ germanos cùm fratres tum ſorores conſanguineis anteponit. Nec demum id fert rerum natura, ut Rex Catholicus, qui vix ſextum explevit annum, fratri Balthaſari ante 15 annos mortuo ſuccedat.

At ſtirpis virilis vel ex poſteriori matrimonio progenitæ potior cauſa eſſe debet, quàm filiæ ex ſuperiori conjugio natæ. Quouſque ſexus, non connubia inter ſe contenditis? Fatemur quidem mares fœminis ex eodem connubio ortis eſſe potiores: ſed conſuetudo ipſa priorum, & ſecundarum nuptiarum prudentiſſimè jura diſcrevit. Quâ nunc authoritate legem vetuſtate roboratam convellitis, quæque ſapienter diviſit, omnino confunditis? Nobilioris quidem ſexûs inter germanos ducta eſt ratio, ac melior eſt fratris, quàm ſororis conditio, cum ex eodem orti matrimonio inter ſe conferuntur. Sed prioribus nuptiis ſuus habetur honos, atque ut poſterioribus dignitate præſtant, ſic majora iis, & illuſtriora conſuetudo jura concedit. Rex itaque Catholicus nobilioris ſexûs prærogativâ in longum ævum potiatur; Hiſpaniæ Coronam, eique adjecta Regna poſſideat, neque hoc purpuræ decus quod ſacræ Regni leges fratri dedêre, Reginam offendit? XXVII.

ſed ille viciſſim æquo patiatur animo, ut his ſoror fruatur, quæ conſuetudinis, & legum municipalium authoritate eſt conſecuta. Hoc quidem jure eſt Brabantiæ Ducatus, his legibus continetur: quid eſt quamobrem ab eo jure diſcedatur; cur leges quæ tot retrò ſæculis viguerunt, in unius Reginæ perſona violentur? Neque hîc incuſanda eſt Brabantiæ conſuetudo; non enim vel humanitati, vel religioni, vel æquitati denique repugnat; & ſua, ut diximus, huic legi ratio conſtat. Iteratas quidem nuptias ut concupiſcentiæ, aut effrænis libidinis remedium tulit Eccleſia: ſed huic tamen incontinentiæ pœna quædam ab antiquis canonibus eſt irrogata, & etiamnum bigami ab Altaris miniſterio removentur. Ea fuit ſemper omnium penè populorum ſententia, ut priorum nuptiarum dignitatem adverſus poſteriorum injurias tuerentur. Ac ne aliena quæramus exempla, quem fallit totius Belgii conſuetudines huc ſpectare, eò leges tendere, ut poſteriores nuptiæ quoad fieri poſſit, inhibeantur. Hinc parentum qui ſecunda ineunt connubia, plerumque jura imminuunt: nonnunquam eos à tutela liberorum,& bonorum adminiſtratione removent: interim quæ illis ante donata fuerant, ut indignis adimunt, aut quæ ſuperſtes viduitatis nomine poſſidebat mobilia, huic detrahunt. Sed præter cæteras Hannoniæ conſuetudo

do ſecundis nuptiis videtur infeſtior: nam conjugum feuda conſtante priori matrimonio, aut viduitatis tempore quæſita, ad filiam ex ſuperiori connubio procreatam, excluſo etiam filio, ſi quis ſit ex poſteriori genitus, devolvit. Ex quibus ſanè intelligimus poſteriores nuptias cum ubique terrarum, tum maximè in Belgio non eodem loco eſſe, quo ſuperiores, nec eumdem utriſque honorem haberi.

Quòd autem negant Hiſpani ullo XXVIII.
poſſe exemplo demonſtrari Brabantiæ Ducatum ad filiam ex priori natam connubio, cum virilis ſupereſſet proles ex ſecundis nuptiis, delatum unquam fuiſſe: hoc forſitan probaremus, ſi ullo nos docere poſſent exemplo virilem ſtirpem ex ſecundis nuptiis ortam, filiæ ex ſuperiori matrimonio fuiſſe præpoſitam. Quàm verò jejuna ſit, & inanis illa cavillatio, facilè intelliget quiſquis Brabantiæ Ducum ſeriem, & genealogiam, vel ex ipſo indice oculis luſtraverit. Nunquam enim id uſu venit, ut inter filiam, & liberos ex diverſis connubiis prognatos de Principatu ulla potuerit eſſe contentio. Nam qui Principes ante Philippum II. de quo mox viderimus, ſecundas iniêre nuptias, Godofredus III. Henricus I. Henricus II. Joannes I. Antonius Burgundio, & Philippus Bo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

nus, ii nullam ex ſuperiori matrimonio filiam habuêre ſuperſtitem, quæ de ſumma rerum poſſet contendere. Quod enim plerumque evênit, aut filius ex ſuperiori connubio, aut nullâ ex prioribus nuptiis relictâ ſobole filius ex poſteriori matrimonio rerum ſummâ potitus eſt, ut Joannes II. vel denique ex tertiis nuptiis filius, cum nulla eſſet ex ſuperioribus proles, in Ducatum ſucceſſit; quod in Carolo Audace contigit, qui Philippi Boni ex tertia uxore filius fuit. Quare nihil Hiſpani afferunt adverſus Reginæ Chriſtianiſſimæ jura, cum negant filium ex ſecundis nuptiis à ſorore ex prioribus natâ Brabantiæ Ducatu depulſum unquam fuiſſe: cum is caſus nunquam inciderit, neque ea res in contentionem venerit.

XXIX. Quòd verò id juris in dominatrice domo, ut in reliquis obtineat, eaque ſit apud Brabantinos publicè recepta perſuaſio, ſummi Imperii jus ad filiam ex priori thoro genitam, ut feuda quæque devolvi, ex iis quæ regnante Philippo II. acta in Belgio Meterenus commemorat, facilè colligimus. Philippus quippe ex ſuperiori connubio Iſabellam, & Catharinam; ex poſteriori Philippum III. genuit, qui in regnum Hiſpaniæ ſucceſſit. Cumque ille certis adductus rationibus Belgii Principatum in majorem natu Iſabellam conferre ſtatuiſſet; donationis diploma miſit

Hiſt. Belgii anno 1598.

ſit in Belgium publicas in tabulas referendum. Brabantinis, qui ut fidem & obſequium Principibus ſuis præſtare; ſic ſua jura, leges, privilegia, & majorum inſtituta tueri ſemper, & conſervare voluerunt, metus injectus eſt, ne Iſabella, quæ ad Principatum devolutionis jure vocabatur, Regis dono, & munere hoc Imperium poſſidere videretur; quòd in regio diplomate nulla conſuetudinis, ſed donationis tantùm facta mentio fuiſſet: ſimul quà voce, quà ſcriptis declararunt iſtam ſibi donationem eâ lege probari, dum Brabantiæ jura municipalia uſque ad illud tempus conſervata non labefactaret, nec Ducatûs privilegia convelleret. Ac doctiſſimi quique juris Interpretes libros certatim edidêre, quibus devolutionis jus cùm rationibus, tum exemplorum vetuſtate confirmarunt; quò Sereniſſima Infans intelligeret ſe non patris, ſed legum beneficio ad ſummi Imperii decus perveniſſe. Parum quippe iis viſum fuit, quòd legitimâ ſuâ Principe fruerentur, niſi & leges ſuas, & Majorum inſtituta retinerent. Idque unum præcipuæ eis curæ fuit, ut Principis jura cum patriis moribus conciliarent.

Scripto Ordinibus caveat duodecimum ceſſionis articulum Belgicarum Provinciarum libertati & privilegiis nihil derogatum, aut detrimento fore. Ordines Brabantiæ per ſuum Grapharium ſententiam protulerunt; quæ palam pronuntiavit Ordines ita cenſuiſſe, ſe Alberto Archiduci Sereniſſimæ Infantis nomine tanquam Principis legitimæ harum Provinciarum juſjurandum præſtituros, ſi viciſſim eis jusjurandum præſtetur de obſervandis [1] Patriæ privilegiis, & de iis ſarciendis quæ contra majorum inſtituta & auſpicia innovata, aut abrogata ſunt.

Kintſchotius, Chriſtineus, Butkenus.

Dotem Philippus Burgundiam cum Belgica dixerat, ut legitimæ hæredi adverſus fratrem minorem diviſione conſuleretur. *Grotius lib.* 6. *anno* 1597.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

XXX. Quocirca manent Reginæ jura in Ducatum Brabantiæ ſummâ legum, & Doctorum conſenſione, patriis moribus, Imperatorum, & ſacri Imperii Principum judiciis, tribunalium authoritate, exemplorum monumentis, Regum Hiſpanorum edictis confirmata. Omnis adeo præciſa eſt dubitatio, & exploſa Hiſpanorum defenſio. Quòd ſi ad ea juris præſidia, & authoritates quibus hæc cauſa munitur, Reginæ Chriſtianiſſimæ præclaras dotes, virtutum omnium decus, natalium claritatem, & auguſti connubii dignitatem adjungamus; an ullæ poſſunt pretioſiores gemmæ Brabantiæ coronam exornare? An illa majori gloriâ, ſplendore, & opibus decorari, aut denique firmioribus munimentis poteſt ſtabiliri?

Dominium Mechlinienſe.

I. HOc inter Brabantiæ, & Mechlinienſis dominatûs conſuetudinem intereſt, quòd illa ſecundis quidem nuptiis minùs favere, hæc verò iiſdem penitùs infeſta, & inimica videatur. Illa enim conjugum ſuperſtitem feudorum proprietate ſic exuit, ut ei tamen uſumfructum relinquat; hæc parte etiam dimidiâ uſusfructûs eumdem mulctat, & quod magis miremur, feuda quæque poſterioribus etiam nuptiis jam initis quæſita ad liberos ex priori connubio, utriuſvis

utriuſvis ii ſexûs fuerint, procreatos tranſmittit [a]. Cum tamen in Ducatu Brabantiæ prioris thori virilis duntaxat ſoboles, poſterioris ſtirpem omnium feudorum, quæ poſt ſecundas nuptias quæſita ſunt, poſſeſſione dejiciat. Quocirca huc omnia pertinent quæ ſuperiori capite adduximus argumenta; neque neceſſe eſt ea retexere. Satis nobis fuerit hujus conſuetudinis verba protuliſſe, quibus Reginæ cauſa maximè continetur. Si vir, " inquit, aut mulier quibus liberi ſuper- " ſunt, relictis feudis diem ſuum obeat, " tum ex maritis is qui in vita manet, u- " ſumfructum habebit in omnia commo- " da accidentaria, patronatus feudales, " & in arces feudales; necnon ſemiſſem " in obventiones certas; proprietas ta- " men eorum feudorum ſtatim ad liberos " devolvitur. Hæc quidem conſuetudo, " quæ lucidiora multò ſunt, quàm ut orationem noſtram deſiderent. Quid enim contra poſſunt excipere? An fortè negabunt feuda patrimonii loco relicta, & à parentibus accepta hac lege contineri, cum ea non ſint conceptis verbis nuncupata? An potiùs id contenderint eamdem conſuetudinem de iis tantùm feudis, quæ in bonis mortui parentis fuêre, non de his quæ ad ſuperſtitem pertineant, intelligi oportere? verum iſtius generis captiones nobis facilè eſt refellere.

a Poſt iteratas nuptias feuda alteri conjugum legitimâ ſucceſſione delata, beneficiarii morte ſolis primi matrimonii liberis deferuntur. *Criſtin. lib. 6. deciſ.* 43. *n.* 28. *Tit.* 10. *art.* 15.

II. Primum enim quæ ſint poſita in hujus Provinciæ moribus, quæ uſu probata nemo omnium nos docere meliùs poteſt, quàm qui à nobis ſæpè nominatur Criſtineus; cum in hac conſuetudine explicanda omnem penè ætatem contriverit. Is itaque in eam ſcribens con-
„ ſuetudinem præclarè nos admonet in
„ Mechlinienſi tractu, ut in Brabantia,
„ conjugum altero fatis functo, nihil bo-
„ norum ſuorum, ſive ea ſint profecti-
„ tia, ſive adventitia, aut quæſita, præ-
„ ter utendi & fruendi facultatem à ſu-
„ perſtite retineri: cum eorum proprie-
„ tas ad liberos, vel proximos hæredes
„ ſit ipſo jure devoluta; his tamen mor-
„ tuis dominium omne ad liberos ante
„ devolutum eò reverti unde profectum
„ eſt, idque cum uſufructu, qui ob eam
„ cauſam hæreditarius appellatur, ve-
„ lut conglutinari[a].

[a] *Chriſtin. in Conſ. Mechlin. tit. 16. art. 24.*

III. Quid porrò contra doctiſſimi viri, atque in hoc rerum genere, ſi quis unquam fuit, verſatiſſimi authoritatem referre poſſunt? An illi vim & rationem conſuetudinis, in qua illuſtranda ſtudium omne poſuit ſuum, & quadraginta propè annos conſumpſit; aut patrios mores tam longo uſu edoctus ignorabat? Neque hæc unius, ne fortè errent, Chriſtinei ſententia fuit; cum id ipſum

ipſum Petrus Nanus magni inter Belgas nominis, in præfatione quam Mechlinienſi conſuetudini in linguam Latinam converſæ adhibuit, longè ante tradidiſſet. Quòd ſi quis horum Doctorum contemnat authoritatem (quamquam ne id quidem venire in mentem cuiquam homini ſano poſſit, ut in re tam uſitata & publica viros eruditiſſimos tam ſupino errore lapſos putet): velim tamen ut ad ipſam conſuetudinem convertat animum, atque ex aliis locis inter ſe diligenter collatis vim illius, & conſilium perpendat. Tum ſanè non adventitia ſolùm feuda, ſed multò etiam magis profectitia eodem devolutionis jure contineri facilè intelliget. An non æquius illi videatur avita bona liberis incolumia conſervari, & parentes earum rerum alienatione prohiberi, quàm eos rerum quæſitarum proprietate ſpoliari? Profectò durum & acerbum id judicabit, ut quis bonorum dominium amittat, quæ ſunt labore quæſita & collecta. At nihil æquius ſtatui poteſt, quàm ut pater accepta à majoribus bona liberis itidem relinquat: cùm eâ lege hæc à parentibus manaverint, ut eadem in poſteros tranſmittantur. Id natura fert, id communis vita, id ratio, & æquitas exigit, ut quæ tradita ſunt à majoribus, hæc liberis quoque prodantur; atque ad eoſdem

res

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

res ipſa cum nomine perveniat. Nam multò id, ut eumdem locum ſæpius urgeamus, naturæ, & communi hominum utilitati aptius videtur, ut gentilitiæ, & velut generi inſitæ poſſeſſiones non moveantur, quàm quæ ſunt induſtriâ partæ, & in familia vix ſatis cognitæ. Cum enim id legi ſit maximè propoſitum, ut integra poſteris ſerventur bona, tum præcipuæ illi curæ videntur eſſe quæ propria ſunt, & à majoribus tradita, nec quicquam de iis detractum patitur; ac ſi forte eſt in parentes benignior, acquiſita duntaxat bona eorum permittit arbitrio; iiſque de rebus, quas multo labore quæſierunt, ſtatuendi, ut viſum fuerit, facultatem indulget.

IV. Sed utcumque ea ſint, nihil enim hîc opus eſt litibus, id profectò liquet conſuetudines, & leges quæ jus devolutionis induxêre, quò patria bona liberis ab omni inconſultâ parentum donatione, aut perturbatione, aut novercarum odiis tuta ſerventur, eò ſpectare, hoc velle, ut quæ ſunt multis annis, aut etiam ſæculis ante poſſeſſa, ad liberos potiùs, quàm recens quæſita perveniant. Hinc conſuetudo Mechlinienſis cum jus devolutionis in ea bona quæ allodialia vulgo nominantur, quæque optimo jure poſſidentur, conſtituit, pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

propria tantùm non acquiſita complectitur. Illorum quippe potiſſimam habet rationem, illis maximè conſulit; de quæſitis nihil præſcribit, quod ab ejus conſilio ſint, & ratione remotiora. Ex quibus efficitur falſum id eſſe, parta duntaxat bona, non hæreditaria patrimonia devolutionis jure comprehendi. Hoc enim commenti & conſuetudinis, & Doctorum qui in ea explicanda verſati ſunt, authoritate, & communi hominum ſenſu refellitur.

Nec minùs levis, & captioſa illa eſſet exceptio, quâ quis fortè uteretur, ut eodem conſuetudinis articulo non ſuperſtitis conjugis, ſed mortui feuda intelligenda eſſe contenderet. Quid enim neceſſe erat ut peculiari lege liberos in demortui parentis bona ſuccedere ſtatueretur? Cum id communi jure, omnium gentium uſu, & naturæ lege ſit conſtitutum. Quorſum de feudis ſingularem condidit articulum, cum omnium bonorum, cujuſcumque ea ſint generis, & naturæ, communis illa ſit, & ubique uſitata conditio? V.

Jam quod legis conſilium, quæ ratio eſſe potuit, ut non ſolùm quæ liberorum ſunt bona, ei qui ſupereſt parenti ex dimidia parte utenda, & poſſidenda traderet, omni onere, vel alimen- VI.

torum,

torum, vel æris alieni liberata; ſed etiam jura patronatus, arces, obventiones, & emolumenta fortuita relinqueret? Profectò non aliâ mente lex penes parentem ſuperſtitem voluit eſſe hæc dignitatis inſignia, quàm ut filiorum pudori, & parentis authoritati conſuleret; neve hoc illi deeſſet amiſsâ bonorum proprietate ſolatium. Grave id enim, & durum nimis fore lex ipſa judicavit, ſi patri rerum ſuarum proprietate ſpoliato, hæc etiam dignitatis ornamenta, & antiqui dominii veſtigia detraheret, eumque de priſci honoris gradu velut præcipitem dejiceret. Non alia quidem ſubeſſe cauſa potuit cur conſuetudo tam ſollicitè parentis ſuperſtitis honori proſpexerit. Quòd ſi enim de illius qui deceſſerit, non de ſuperſtitis feudis conſuetudinem intelligi oporteat, cur ea liberos uſus-fructus parte dimidiâ fraudat? Cur omnia feudorum inſignia, decus omne, & obventiones illis eripit, quò ſtatim in ſecundas nuptias, aut in aliam ſobolem, quidquid illud honoris eſt, vel emolumenti, etiam cum prioris connubii dedecore, & ruina transferatur? Nihil fingi poteſt quod à voluntate legis, & ſententia magis abhorreat. Quid eſt etiam cur ipſa conſuetudo aliud in feudis, aliud in iis bonis quæ quis ſuâ, non alienâ fide poſſidet, & allodialia dicuntur, jus devolutionis conſtituat? Cumque

que feuda integra liberis, allodiorum vero partem dumtaxat dimidiam ſoluto matrimonio concedat; quòd ſi ille conſuetudinis articulus ſit ad ea quæ demortui parentis fuerunt, non ejus qui adhuc vivit feuda referendus, ſequitur ut lex partis dimidiæ allodiorum conjugi ſuperſtiti dominium, & proprietatem largiatur. Nec tamen ulli dubium eſſe poteſt, quin ut feuda ejus qui prior deceſſit, ſic allodia ad liberos, aut hæredes ejus integra perveniant. Niſi quis fortè adeo ſit demens, ut putet eum qui ſupereſt conjugem, in dimidiam allodiorum quæ mortui fuerunt, partem ſuccedere. Quo nihil abſurdius excogitari poſſit, nihil magis rationi, & devolutionis juri contrarium. Quis enim non videat hoc juris in gratiam liberorum fuiſſe conſtitutum, ne bona eorum à parente ſuperſtite minuerentur, eaque ab imminente ſecundarum nuptiarum ſtrage in tuto locarentur. Neque adeo lex prioris connubii ſoboli partem bonorum detractam voluit, quæ in poſteriores nuptias profundatur. Non illa fuit legis ſententia, non ea mens; prioris connubii liberis voluit conſulere, non exitium afferre; ſecundarum nuptiarum clades arcere, non earum injuriam adjuvare; nec parentum libidini obſequi; ſed eam potiùs inhibere cogitavit.

Quam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

VII. Quamobrem illud effectum ſit, Mechlinienſe dominium ad Reginam Chriſtianiſſimam non dubio, ſed certo, & manifeſto jure eſſe devolutum: cumque hæc conſuetudo prioris connubii ſobolem abſque ullo ſexuum diſcrimine, poſterioris matrimonii proli ſic anteponat, ut etiam in feuda quæ poſt iteratas nuptias ſunt acquiſita, ii ſuccedant qui ex ſuperiori matrimonio ſunt procreati, nihil hîc loci relinquitur virilis ſtirpis prærogativæ quæ ſuperiori capite ejecta fuit, & exploſa.

Antverpia ſeu Marchionatus ſacri Imperii, Comitatus Aloſtenſis, quem Flandriam Imperialem vocant.

I. QUò longiùs hic noſter progreditur labor, hòc rationum momenta ſimul & Reginæ Chriſtianiſſimæ jura augeri videntur. Huc uſque enim tantùm devolutionis lege, quam in gratiam liberorum conſuetudines induxêre, jura ſua in Brabantiæ Ducatum, & dominium Mechlinienſe confirmavit. Nunc verò Antverpiam unà cum Aloſtenſi Comitatu non unius devolutionis, ſed duobus præterea firmiſſimis munita præſidiis ſibi vindicat. Primum quidem ex eo ducitur quòd Antverpia Ducatui Bra-

Brabantiæ ferè ut pars ſuo corpori cohæreat, neque ab eo divelli ullo modo poſſit. Nam ut in rerum naturâ, ſic in civili regimine, cum plura in unum coaluêre, tum priſtinas veluti dotes exuunt, & confuſâ quadam ratione in unius corporis compagem migrant, cujus adeo naturam ſortiuntur; tametſi pars aliqua ſemper in hoc velut corpore excellit, quæ reliquis ceu caput dominatur; atque inde vim omnem, ſenſum, & motum inferiora membra depromunt. Quòd verò Antverpia ſit cum Brabantiæ Ducatu conjuncta, non Doctorum teſtimoniis, ſed Caroli V. Edicto principali demonſtramus. In perpetuum, in-" quit, Antverpia, & quidquid ad eam" pertinere oſtendi poterit, civitatibus," communique Brabantiæ Provinciæ con-" juncta manebit[a]. Id ipſum aliquot ante ſæculis à Philippo Audace Burgundiæ Duce jam eſſe conſtitutum Hiſtoriarum monumentis proditum eſt[b]. His utique adjungamus doctiſſimi Kintſchotii auctoritatem, qui poſtquam de Brabantiæ Ducatûs præcellenti dignitate multa diſſeruit, hoc tandem, quod ad rem noſtram pertinet, ſubnectit, Antver-" piam cum eo Ducatu ita cohærere ut" nullo hinc modo ſeparari queat. Hæc" enim, ut idem teſtatur Cancellarius, una eſt ex ſacris legibus nunquam vio-" landis, quæque à Ducibus cum inau-" guran-

a *In Philippi II. læto introitu in Belgium an.* 1519. *Cap.* 40.

b Ditionem hanc cujus eſt Metropolis Antverpia, Brabantiæ unit. *Pont. ſub Audace. Fol.* 49.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

gurantur, jurejurando ſolent confirmari[a]. Hinc alio quodam loco author ille graviſſimus docet jûs devolutionis in univerſa Brabantia quoad feuda uſurpari; in nonnullis civitatibus ad ruſtica etiam prædia, & urbana pertinere: Antverpienſem civitatem inter eas refert, quæ hoc jure ſunt, ut feuda ſolùm devolutionis lege teneantur. Illud enim ut confeſſum, & nemini incognitum ſupponit, Antverpiam cum Brabantiæ Ducatu eſſe conjunctam. Id ipſum dilucidè tradit clariſſ. Stockmans, Antverpienſis civitatis feuda devolutionis jure contineri[b].

[a] His accedit quòd præcipuum Brabantiæ oppidum videlicet Antverpia cum magna ſui territorii parte, quâ comprehenditur Lyranum, & Herentalium, Marchionatus, ſit ſacri Imperii, quo Brabantiæ Duces tandiu potiti ſunt, ut hæc ſacri Imperii dignitas à Brabantiæ Ducatu juxta inaugurationis pacta inſeparabilis eſſe videatur. *Opuſc. 1. ex 7. quæ in calce reſponſ. adjecta ſunt.*

[b] In urbe Bruxellenſi, & Antverpienſi, & pomœriis ac territoriis eiſdem cohærentibus jus devolutionis non agnoſcitur, niſi in bonis feudalibus. *Stockmans, cap. 2. p. 10.*

II. Huic rationi adjungamus alteram non minoris utique momenti, quæ hoc fundamento nititur, quòd feuda quæque Brabantiæ ſubjecta, ſive extra ſint, ſive intra Ducatum conſtituta, iiſdem ſucceſſionum legibus, & eâdem conſuetudine utantur, quæ in Brabantiæ Ducatu eſt uſitata. Ad communem quippe feudorum legem, quæ in Ducatu obtinet, quæ ſunt extra Brabantiam poſita feuda referuntur. Jam illud perſpicuum eſt Antverpienſem civitatem, & Aloſtenſem Comitatum Brabantiæ Ducatui ſubeſſe, hinc jura petere,

petere, hinc omnino ut beneficiaria feuda pendêre; iſtuc enim, ne alios nominemus, de utroque dominatu tradit Butkenus. Ex quibus intelligi par eſt Brabantiæ conſuetudine Reginæ jura omnino firmari, etiamſi jus devolutionis nullâ eſſet lege ſpeciali in Antverpienſi conſuetudine ſancitum: quamquam id quoque conſtat Antverpiam hoc jure uti: neque id fuiſſe in ipſa conſuetudine prætermiſſum. Cum itaque hæc civitas cum Ducatu Brabantiæ ita ſit connexa, ut diviſionem nullam pati poſſit: ſequitur profectò Antverpiam & Aloſtenſem Comitatum (nam utriuſque eadem eſt cauſa) non obſcuro dubioque jure, ſed manifeſto, & illuſtri ad Reginam Chriſtianiſſimam pertinere. Quandoquidem hoc juris generali Brabantiæ, & municipali earum civitatum conſuetudine munitur; eadem eſt ratio membrorum quæ capitis; iiſdem denique legibus feuda inferiora, quibus ſuperiora continentur.

In Hiſtoria Flandriæ anno 1356. & in trophæis Brabantiæ, anno 1209.

Superior Geldria cujus caput eſt Ruræmunda.

JUs devolutionis in hac quoque regione ut in Brabantiæ Ducatu, lege municipali eſſe conſtitutum ex eo libro qui ulterioris Geldriæ jura deſcribit, facilè colligitur. I.
Quod hæreditaria, inquit, bona ſpectat, "
ſeu quæſita, ſeu patrimonialia ſint, & à "
majori-

„ majoribus accepta, horum proprietate „ ad liberos tranſlatâ, nihil conjugum ſu- „ perſtiti præter uſumfructum relinqui- tur. Quin etiam ut gloſſa in articulum ſextum Brabantinæ conſuetudinis obſervat, „ quæ poſt ſecundas nuptias feuda ſunt ac- „ quiſita, hæc ut in Brabantia, ſic in Gel- „ dria ſuperiori ad liberos ex priori ma- „ trimonio progenitos conſuetudinis au- „ thoritate deferuntur. Hunc illis in regionibus uſum obtinere, ut alios omittamus, teſtatur Sandeus a, ubi feudales Geldriæ, & Zutphaniæ conſuetudines explicat; idque olim Conſilii Imperialis authoritate judicatum docet. Cum enim Fridericus Skenk Baro Tautimburgenſis id juris adverſus ſecundi matrimonii liberos defenderet, probatâ regionis illius conſuetudine cauſam obtinuit b. Atque hoc jure eſſe Geldriam, qui ſæpe à nobis nominatur P. Stockmans ultro concedit c. Quocirca nullus hîc eſt ambigendi locus quin ſuperior Geldria tun quæ in poſſeſſione Regis Catholici fuit, cum Regina Eliſabetha, & Prin- ceps Balthaſar diem ſuum obiêre, ac Reginam Chriſtianiſſimam ſit ex con ſuetudine, & præjudiciis factis omnin devoluta.

a Quorumdam locorum uſu, apud Brabantos videlicet in ſuperiori Geldria, atque alibi ex primo matrimonio ſuſcepti liberi poſterioribus tam in feudo quàm in allodiis immobilibus præferuntur. *tract.* 1. *tit.* 3. §. 1. *num.* 3.

b Quod autem Baroni Tautimburgico Friderico Skenk viſum fuit, qui in contradictorio judicio probatâ hâc conſuetudine ſecundù eam in Imperii conſiſtorio ſe adſtipulante judicatum fuiſſe refer *Idem ibidem.*

c Geldriæ quoque Ducatum aiunt periti illius Regionis jure de volutionis regi. *Stockman. pag.* 12.

Comi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Comitatus Namurcenſis.

REginæ Chriſtianiſſimæ in hunc Comitatum jura articulis 79. & 82. hujus conſuetudinis maximè niti videntur. Priori quidem jus devolutionis, de quo omnis noſtra contentio eſt, clariſſimis verbis conſtituitur. Poſterior diſtinctione adhibitâ liberorum jura ſic deſcribit, ut natis ex priori connubio quæ ſuperſtitis ante matrimonium initum fuêre, aut eo conſtante quæſita ſunt, bona immobilia relinquat; quæ autem ſunt ab eo parta, quæque illi obvenêre poſt ſecundas nuptias, proli ex iiſdem ſuſceptæ adjudicet. Utriuſque legis authoritate ſic Reginæ jura firmantur, ut alterâ contenti eſſe poſſimus. Sed ne quem videamur patrium morem contemnere, aut delatum à lege beneficium negligere, utriuſque articuli utemur præſidio. In hæc itaque verba articulum 79. conceptum legimus. Quæ bona immobilia, aut realia ſunt à " conjugatis in matrimonium collata, " horum dominium extincto ex iis altero, " ad liberos ex iis nuptiis genitos devol- " vitur, uſufructu penes ſuperſtitem re- " manente a. Nihil neceſſe eſt rem adeo claram, & perſpicuam pluribus verbis

a Quand deux conjoints apporteront biens réels en mariage, & l'un deſdits conjoints termine vie par mort, delaiſſant enfans procreez d'eux, la proprieté des biens ſuccedera & ſe devoluëra par & incontinent ledit treſpas advenu auſdits enfans, ſauf au ſurvivant ſon uſufruit en iceux.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

involvere. Quis enim non perſpicit Namurcum rem ſoli & immobilem exiſtere, inter bona, ut loquuntur, realia numerari, in ditione Regis Catholici fuiſſe, atque illius demum Principatûs dominium mortuâ Eliſabethâ Reginâ ad communes liberos ſtatim eſſe tranſlatum?

II. Quòd ſi quis ſit qui neglectâ legis apertiſſimâ ſententiâ ad verborum anguſtias, & literarum tendiculas nos revocet, ac pertendat hanc legem non de ſuperſtitis, ſed magis de illius qui prior obiit, hæreditate intelligi oportere. Non erit difficile illius pertinaciam convincere, & fallacem eam concluſiuncu-lam refellere. Primùm enim cum de bonorum omnium, & facultatum uſufructu, non de feudis ſolùm lex ipſa ſtatuerit, nihil profectò magis à communi hominum ſenſu alienum videtur quàm ut ea liberos omni patrimonii poſſeſſione dejicere, & parenti ſuperſtiti deductis oneribus cuncta poſſidenda ſic tradere voluerit, ut ne alimenta quidem liberis præſtare, aut æs alienum diſſolvere teneretur. Deinde quid neceſſe fuit eo cavere articulo ut bonorum immobilium, quæ extincti parentis fuêre, proprietas ad liberos pertineret: cùm id jure communi, & naturali quadam lege ſit conſtitutum? Præſertim cùm articulo ſeptuageſimo octa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

vo mortui parentis bona pleno jure in hæredem tranſmitti jam ſancitum fuiſſet. Poſtremò illud recurrit, quod uberius jam ſuprà à nobis eſt explicatum, non aliam ob cauſam jus devolutionis inductum fuiſſe, quàm ut liberis ex priori matrimonio natis adverſus ſecundarum nuptiarum injurias caveretur. Id ſi ita eſt, non ejus qui ex vita exceſſit, quique ſecundum inire connubium non poteſt, ſed ſuperſtitis bona hac lege continentur.

Quòd ſi quem fortaſſis hæc vocum aucupia delectent, iſque conſuetudinis verba ita detorqueat, ut ad ea ſolùm quæ in matrimonium allata ſunt bona, non ad illa quæ poſt obvenêre, legem pertinere exiſtimet: cumque Namurcenſis Comitatus anno 1621. poſt initum cum Eliſabetha Regina connubium ad Regem Catholicum Archiducis Alberti morte devenerit, hunc neget Principatum eo bonorum genere cenſeri, quæ in matrimonium ſunt collata, quæque devolutionis jure continentur. Facilis quidem erit & expedita hujus calumniæ depulſio. Cum enim de collatis in matrimonium rebus loquitur conſuetudo, non eas tantùm quæ ante nuptias penes alterum conjugum fuêre, ſed etiam quæ poſt obtigêre bona intelligit. Quod cum clarum per ſe, & in communi ho- III.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

minum ſenſu poſitum eſt, tum ex articulo quinquageſimo ſecundo omnino
„ colligitur. Quòd ſi, inquit, uxor viro
„ ſuperfuerit, bonorum immobilium quæ
„ allodialia dicuntur, quæque à marito in
„ matrimonium collata ſunt, rerum iti-
„ dem quas conjugati ſimul quæſiere,
„ uſumfructum doarii uſitati loco reti-
nebit. Jam verò neminem eſſe arbitror rerum adeo imperitum, qui negare audeat mulieris doarium ab ipſa conſuetudine definitum, non ex iis modò quæ maritus in matrimonium attulit, ſed multò etiam magis ex iis quæ poſt initum connubium illi obvenerunt bonis, excerpi oportere. Quare illud palam eſt, rerum collatarum nomine & quæſita bona, & delatas conſtante matrimonio hæreditates comprehendi. Neque enim id dubium cuiquam eſſe poteſt, quin vir aut mulier non ea tantùm, quæ ſua ſunt, cum nuptiæ celebrantur; ſed etiam quæcumque ante ſolutum connubium aliunde obtigerunt, in matrimonium inferre cenſeatur. Nec minùs abſurdè quis defenderet ea ſolum à marito, & uxore in matrimonium eſſe collata, quæ tum habuêre, cum nuptias inierunt, quàm ſtultum foret contendere non aliud eſſe in domum aliquam illatum, quàm quod fuit in eam, dum ædificaretur, invectum.

Accedit

Accedit illud quoque vel maximum, quòd cum de ſucceſſione in bona quæ conjuges ſimul quæſierunt articulo quinquageſimo quarto ſancitum fuerit; ſi de his tantùm bonis quæ nuptiarum tempore allata ſunt, non de his quæ obtigêre hoc articulo ſeptuageſimo nono fuit conſtitutum: ſequitur jura ſucceſſionum, quæque interjecto matrimonii tempore venerunt hæreditates, in hac conſuetudine ſilentio fuiſſe prætermiſſas; quo nihil dici poteſt obtuſius: Non enim aliud magis in diſceptationem venire ſolet, quàm ſucceſſionum jura, de quibus plerumque magna contentione certatur. Nec illud vero ſimile eſt rem maximi momenti neglectam ab iis fuiſſe, qui municipales hujus Provinciæ leges condiderunt. Sed ne fortè ea vox (quæ allata ſunt) quâ identidem utitur conſuetudo, fallat imperitos; admonendi utique videntur cauſas, perſonas, tempora denique non confundi, ſed omnino diſtingui oportere. Cum enim alterius conjugum eſt conſtituenda ſucceſſio; tum dubitari non poteſt quin id omne quod conſtante connubio in bonis illius fuit, in matrimonium quoque allatum cenſeatur. Neque tum ulla temporum eſt habenda ratio, cum utriuſque conjugis ſucceſſio induſtriâ, labore, fortunâ, hæreditatibus uſque ad extremum vitæ diem poſſit indeſinenter augeri. At ſi dotis IV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

augmentum, aut donatio ob nuptias ſit præſcribenda, tum ejus duntaxat temporis, quo initum fuit matrimonium, ratio ducenda eſt; atque ea vox (quæ allata ſunt) ad illud eſt tempus quo nuptiæ fuerunt celebratæ, referenda. Quæ enim ſunt hujuſmodi ad dotem ipſam quæ collata eſt, non ad ea quæ ſunt acquiſita, aut aliunde venerunt bona, revocantur.

V. Atque ut omnes intelligant quàm iniqua ſit illa defenſio, quæ neglectâ conſuetudinis ſententiâ in unius vocis errore deliteſcit, articulum itidem octogeſimum ſecundum paulò diligentius placet expendere. Hic enim facultates omnes, quas in matrimonium conjuges attulerunt, quæque iis ante connubii ſolutionem delatæ ſunt, aut quæſitæ, ita complectitur, ut nullum calumniæ locum relinquat. Prioris, inquit, connubii ſoboles in bona quæque immobilia ab utroque parente allata, aut interjecto matrimonii tempore delata, aut per eos labore parta ſuccedet, excluſâ poſterioris connubii prole; ut viciſſim liberi ex ſecundis nuptiis procreati in bona quoque immobilia, quæ parentes attulêre, quæque iis conſtante ſecundo matrimonio obtigerunt, præ liberis ex priori conjugio natis ſuccedent. Neque, ut opinor, Hiſpaniæ Conſilium hoc utetur perſu-

fugio, rerum immobilium voce feuda intelligi neutiquam oportere. Nec quicquam poſſet dici inconſideratius: præterquàm enim titulus, qui hunc complectitur articulum, de feudis inſcribitur; non alius occurrit articulus feudorum titulo comprehenſus, qui rem in communi hominum vita poſitam, publico uſu tritam, & in qua maxima plerumque momenta verſantur, ullo pacto conſtituat. Neque adeo caſus ille ita frequens, & uſitatus aliò referri poteſt, ut pulcrè obſervat Criſtineus [a], quàm ad generale ſtatutum, quod ſucceſſionum jura præſcribit. Jam illud quî non modò concedi, ſed omnino intelligi poſſit, feuda quæ inter res ſoli præcipuo quodam jure habentur, immobilium voce non comprehendi? Hinc idem Criſtineus ex eo quem nunc expendimus Namurcenſis conſuetudinis articulo colligit, in Mechlinienſi itidem conſuetudine quæſita bona ad jus devolutionis pertinere; atque hac voce (immobilium) feuda quoque intelligi, ut rem certam, & minimè controverſam tradit [b]. Hinc

a In feudis enim hoc tempore ſtatuta & conſuetudines aliorum locorum generales, locum etiam habent, niſi ſpecialiter illis ſtatutis, & conſuetudinibus contrà ſit diſpoſitum, prout aliàs judicatum fuit in ſupremo Conſilio Mechlinienſi 137. an 1590.

b Liberi primi matrimonii ſuccedunt in quæſita tempore illius matrimonii, & filii ſecundi matrimonii in quæſita durante ſecundo matrimonio: quod etiam ſecundum conſuetudinem Namurcenſem obtinet quoad feuda, ac proinde ſi Namurci in ſecundis nuptiis feuda aliqua ſunt acquiſita, licet primogenitus electionem in feudis habeat, non habebit tamen in feudis acquiſitis ſtante ſecundo matrimonio; illa enim ad prolem ſecundi matrimonii pertinent, ut judicatum intellexi in Conſilio Mechlinienſi 187. anno 1590.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

etiam celeberrimi ejus Provinciæ Patroni, cum Regis Chriſtianiſſimi juſſu hac de re mutatis ſolùm nominibus conſulti fuiſſent, filiam ex prioribus nuptiis genitam virili ſoboli ex ſecundo matrimonio ſuſceptæ legum municipalium authoritate præferri magnâ conſenſione reſponderunt. Sed quid in re apertiſſima teſtimonia colligimus, cum P. Stockmans diſertiſſimè fateatur: *Apud Namurcenſes liberis primi thori addicta eſſe bona omnia immobilia, quæ conjuges illius thori poſſederunt, excluſis liberis ſecundarum nuptiarum, quibus in vicem & compenſationem addicuntur omnia tempore illarum nuptiarum quæſita.* Cap. 2. p. 13. Nullus itaque ſupereſt ambigendi locus, ſeu leges patriæ, ſeu authoritas eorum qui in iis interpretandis ſunt verſatiſſimi, ſpectetur, quin Comitatus Namurcenſis ad Reginam Chriſtianiſſimam devolutionis jure pervenerit. Nec audiendi ſunt qui conſultiſſimos viros, quique tot annos ingenium, laborem, & fidem ſuam populo promptam expoſitamque præbuerunt, inſcitiæ, aut negligentiæ condemnare, eoſque à fide, & obſequio in ſuam Principem contra divina humanaque jura deducere moliuntur.

Duca-

Ducatus Limburgenſis, dominium Dalhemenſe, Coriovallum, ſeu Falcoburgum, Rhodia Ducis, & aliæ Arces ultra Moſam ſitæ.

I. DUcatus Limburgenſis, quæque ei ſunt adjuncta dominia cum Brabantiæ Ducatu tam arctè cohærent, ut vix ulla major poſſit eſſe conjunctio. Utrique enim Provinciæ idem Cancellarius, idem præeſt Magiſtratus; uno eodemque ſigillo publicæ literæ obſignantur; cum alii Principatus ſua quique ſigilla habeant ſeparata. Quæ diplomata, aut privilegia manant à principe, hæc quidem ad Brabantinos, & Ultra-Moſanæ ditionis incolas, ac Limburgenſes ſimul & eadem perſcriptione diriguntur. Quod quidem cauſæ fuit cur Philippus II. Hiſpaniæ Rex anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono, primùm Lovanii, quæ civitas eſt Brabantiæ primaria, ſibi ut legitimo utriuſque Ducatûs Brabantini, & Limburgenſis Principi fidem præſtari voluerit; tum alios ſubinde Belgii Principatus in verba ſua ſeparatim adegerit. Neque enim eum fugiebat Brabantiam & Limburgum eodem jure uti, atque inter ſe mutuo ita eſſe devincta, ut nullus ſit diviſioni locus. Hinc etiam Brabantini Ordines Carolo V. Impera-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

tori anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio, poſtulata ediderunt, quibus ſe nihil agere, nihil moliri teſtati ſunt, quod non priùs ad Limburgenſes & Ultra-Moſanos retuliſſent.

II. Quòd ſi volumus ab antiquioribus monumentis exempla repetere; Carolum IV. Imperatorem anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo nono; Sigiſmundum anno milleſimo quadringenteſimo viceſimo quarto; Maximilianum anno milleſimo quingenteſimo duodecimo & Carolum V. anno milleſimo quingenteſimo triceſimo in publicis literis, & privilegiis quæ Brabantinis, & Limburgenſibus indulsêre, utriuſque Provinciæ, ut unius & ejuſdem Principatûs rationem habuiſſe comperiemus. Huc etiam pertinet quod Brabantiæ Annalibus proditum eſt, filios Principum natu maximos jam inde à Joannis I. temporibus ſolitos ſibi ex Limburgenſi Ducatu nomen aſciſcere: uſitato in ſummis Imperiis more, quo ſtirpis natu maximus dominii alicujus cum principatu conjuncti nomen uſurpat. Hinc denique refert Hannonicæ Hiſtoriæ ſcriptor Rutæus, quòd cum aliquando de ſucceſſione Brabantini Ducatûs ambigeretur, utriuſque Provinciæ Ordines unà convenerint, qui communi animo, & voluntate de conſtituendo Principe decernerent. Cum enim, inquit, hæ Provin-

Provinciæ uno, & eodem Principatu continea ntur, neceſſe fuit ut communibus votis futurum Principem deſignarent.

Quibus ex rebus judicari poteſt Ducatum Limburgenſem ita eſſe cum Brabantia connexum, ut ab ea divelli, aut diſtrahi nullo modo poſſit. Cumque Brabantiæ Ducatum ad Reginam Chriſtianiſſimam hæreditario jure delatum eſſe non dubiis conjecturis, ſed invictis rationibus demonſtratum à nobis fuerit: ſequitur profectò Limburgum, & huic adjunctas regiones, aut dominia eodem prorſus jure ad eam eſſe devoluta. Nam quæ in unum coaluêre, ejuſdem omnino ſunt conditionis; nec ulla eſt ratio acquirendi aut minùs invidioſa, aut naturæ magis accommodata, quàm quæ unione, vel conjunctione perficitur. Quòd ſi quâdam naturæ vi, aut exundantium aquarum impetu vicini fundus cum meo prædio coaluerit, tum alluvionis jure mihi quæſita eſt alieni fundi poſſeſſio. Quòd ſi itidem duo Sacerdotia Eccleſiæ authoritate confundantur, minoris utique proventus accreſcit potiori. Illud enim ut naturæ, ſic artis principium ab omnibus conceditur, quòd ex pluribus quæ in unum convenêre, id quod potentiſſimum eſt, inferiora quæ ſunt in ſui conditionem, & naturam convertat: ſi quid enim argenti III.

cum auro miſceatur, illud auri nomen, & ſplendorem conſequetur.

Ad rem autem ut redeamus, vir ingenio prudentiâque acutiſſimus Kintſchotius Brabantiam, Limburgum, & huic annexas ultra Moſam ditiones ſic inter ſe conjungi, ut ex iis unus & indiſcretus exurgat Principatus, confirmat ex iis pactis quæ cum Brabantiæ Duce, inaugurationis tempore jurejurando ſanciuntur. Addit illud quoque quod ſuprà innuimus, eodem ſigillo, quod Brabantiæ Cancellario creditum eſt, cauſas utriuſque Provinciæ quà publicas, quà privatas obſignari; ac Senatum denique Brabantinum Ducis perſonam, & authoritatem referre [a]. Sed neque etiam hoc loco nobis deeſt Clariſſ. Stockmans teſtimonium: *Extra Brabantiam*, inquit, *jure devolutionis regunbantiam*, inquit, *jure devolutionis reguntur Ducatus Limburgenſis, ac reliquæ ditiones Trans-Moſanæ, quæ jam olim Brabantiæ annexæ, facile in ejus mores tranſiverunt.* Capite ſecundo pag. 12.

[a] In Brabantiæ Ducatu, qui nedum Lotharingiæ titulo, ut ſupra retuli, ſed & vetuſtiſſimi Ducatus Limburgenſis, nec non Marchionatus ſacri Imperii dominium annexum habet, cum aliis ditionibus Ultra-Moſanis, quorum connexitas eâ inauguratione, ſeu læto introitu Ducum Brabantiæ eſt inſeparabilis; horumque omnium præcipuum eſt Regis Hiſpaniarum tanquam Ducis Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi, Marchionatus ſacri Imperii ſigillum, Cancellario Brabantiæ conceſſum, quo omnes cauſæ Brabantiæ, & Limburgi Ducatus, ac ditionis Ultra-Moſanæ, earumque ſubditos concernentes ſigillandæ ſunt, in quibus Senatus ipſius Principis perſonam refert. *L. 2. de reſcr. cap. 1.*

Quòd

Quòd ſi hujus rei memoriam altiùs repetimus: jam ante trecentos annos Joanna Brabantiæ Princeps unà cum marito Wenceſlao, Limburgi Ducatum, dominia itidem Dalhemenſe, Rhodulcenſe, Aprimontenſe, Waſſembergenſe, & Huſdenenſe cum Brabantiæ Ducatu in perpetuum juncta & indiviſa fore declaravit [a]. Philippus quoque Burgundiæ Dux Boni cognomine, anno milleſimo quadringenteſimo triceſimo perpetuam utriuſque Ducatus fore conjunctionem jurejurando confirmavit [b]. Id ipſum longo pòſt tempore Carolus V. & Philippus II. anno videlicet milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono eâdem religione ſanxêrunt [c]. Quæ cum ita ſint: nec provinciarum illa connexio ſanctiſſimo fœdere, & jurejurando toties conſecrata, ac vetuſtiſſimâ conſuetudine munita diſſolvi, nec Reginæ Chriſtianiſſimæ tam certa, tam manifeſta in hos Principatus jura in controverſiam vocari ullo modo poſſunt. V.

a *Butken. in vita Ioan. Ducis anno* 1355.

b Ducatum Limburgenſem in perpetuum Brabantiæ annexurum. *Haræus fol.* 411.

c Provinciæ noſtræ Limburgenſis, & Trans-Moſanæ in perpetuum conjunctæ manebunt cum Provincia noſtra Brabantia, neque unquam ab ea divelli poterunt. *In læto introitu Philippi II. c.* 12.

Hanoniæ Comitatus.

ETſi Reginæ cauſa non in hoc præcipuè vertitur, utrùm Hannoniæ Comitatus ſit inter feuda referendus, an ex eo potiùs bonorum genere ſit, quæ opti- I.

mo jure poſſidentur, quæque allodialia, barbarâ, ſed uſitatâ voce dicuntur. Ac ne in eo quidem cauſæ ſumma conſiſtit, quæſito, an patrio jure Rex Catholicus Philippus IV. Hannoniam poſſederit: quodcumque enim ex iis ſtatuerimus, Reginæ jura in hunc Comitatum conſuetudinis, & legum municipalium authoritate æque muniuntur. Quò tamen ea quæ mox dicturi ſumus ſint lucidiora, hoc loco id nobis faciendum eſt, ut Comitatus Hannoniæ conditionem, & ſtatum conſtituamus; deinde ut ab Hiſpaniæ Regia exierit, & ad eam ſubinde redierit, breviter oſtendamus: quò omni obſcuritate diſcuſſâ, res planè quæ in contentionem venit, velut oculis ſubjiciatur.

II. Primùm itaque id fundamenti loco ponamus, Hannoniæ Comitatum eſſe inter bona allodialia numerandum, & jure quo optimo poſſideri; tum ad Reginæ jura in hunc Principatum veniemus. Illud quidem communi omnium ſermone tritum, & veteri proverbio in ea regione uſurpatum refert Gudelinus magnæ inter ejus nationis Scriptores authoritatis, hunc Comitatum in unius Dei, & Solis ditione eſſe conſtitutum, neque ulli humanæ poteſtati ſubeſſe a.

a Comes Hannoniæ vulgo dicitur tenere ſuam ditionem à Deo & Sole, id eſt à nemine mortalium. *Cap.* 3. *num.* 9.

Eadem

Eadem omnino ſunt à Criſtineo iiſdem planè verbis elata [a]. Quique hujus Provinciæ Hiſtoriam diligenter conſcripſit Haræus [b], id olim ab Imperatore tentatum, & cum Ordinibus Provinciæ magnâ ambitione actum commemorat, ut Hannoniam feudum Imperii beneficiarium à virili duntaxat ſtirpe poſſidendum eſſe decernerent: ac neutrum ab iis impetrari potuiſſe. Illi quippe libertate, animoque maximo negarunt hunc Principatum, aut Imperii feudum eſſe, aut ad mares ſolos devolvi.

a *In calce lib. de feudis, art. de feud. Hanoniæ.*

b Quarum literarum Imperialium munimine filius Bavarus cum & Hannoniæ oppida ſollicitaret, hoc reſponſum tulit, « regiones has neque Imperii feudum eſſe, nec ad mares ſolos devolvi. *In Hiſt. Brab. ſub Ioan. IV.*

III. Verùm haud ſcimus an illuſtriori ullo quàm Sigiſmundi Imperatoris exemplo, aut graviori teſtimonio uti poſſimus. Hic enim cum Hannoniæ Comitatum in clientela Imperii exiſtere, nec ſequiorem ſexum in ejus ſucceſſionem vocari falſis deluſus ſermonibus in animum induxiſſet: Ordinum tamen conſtantiæ, & rationibus cedere, ac ſententiâ tandem deſiſtere coactus eſt. Cumque ea res, ſi quæ alia, ad noſtram cauſam maximè pertineat, non erit alienum ejus demonſtrandæ paulo longiùs exordium repetere. Ludovicus Bavarus Hannoniæ Comes unicâ filiâ ſuperſtite, cui nomen Jacobea, deceſſerat. Joannes Leodii Epiſcopus, & Ludovici frater contemptum ſe

Rutæus in hiſtoria Hannoniæ, pag. 375 & 376.

ſe à ſua nepte exiſtimans, Sigiſmundum Imperatorem per internuntios adit, eique perſuadet Hannoniæ Comitatum feudum eſſe Imperii beneficiarium, virili duntaxat ſtirpi addictum: ſe Ludovici Bavari noviſſimi Comitis fratrem agnatione, gentilitioque jure proximum, nepti ſuæ ex fratre anteponi oportere. Sigiſmundus jam pridem à Brabantiæ Duce, cui Jacobea nupſerat, alienior, ſecundùm Leodicenſem Epiſcopum judicat. Verùm huic ſententiæ Ordines Hannoniæ vehementer intercedunt, & magnâ animorum contentione Principis ſuæ jura, & cauſam tuentur. Negant Imperatori, aut ulli Principi quicquam juris eſſe in Comitatum Hannoniæ; mulieres in ſpem rerum potiundarum naſci patriis moribus, & exemplorum vetuſtate confirmant. Contrà Leodicenſis Epiſcopus hanc Comitatûs libertatem exemplis quoque oppugnare conatus, Hannoniæ Comites in Epiſcopi Leodicenſis fide, & clientela quondam fuiſſe oſtendebat. Cui Hannones referebant cauſam ejus adeo non his exemplis adjuvari, ut nihil huic magis obeſſet. Richeleriam quippe Comitem unà cum Balduino filio, cum Roberti Friſii armis premeretur, ab Epiſcopo Leodicenſi auxilium deprecatam, ſe in illius tutelam, & fidem contuliſſe. Negabant porro in argumentum, aut exemplum id trahi poſſe, quod

tum

tum neceſſitas expreſſerat. Hoc demum exemplo liquêre nihil penes Imperatorem juris eſſe in Hannoniæ Comitatum, neque eum feudi loco habendum, nec denique fœminas ab eo Principatu eſſe alienas. Vicerunt tandem Hannones; tumque Comitatûs Hannoniæ jura patefacta ſunt, & illuſtrata, nec Jacobeæ Principis fuit interturbata poſſeſſio. Hunc enim Principatum jure quo optimo retinuit; neque illa, neque ejus poſteri Imperatoribus obſequium, fidemque præſtiterunt.

IV.
Rutæus anno 1515.

Hoc utique exemplum, quo vix ullum afferri poſſit luculentius, aliud memoriæ recentioris excipiet, ex eodem authore depromptum. Scribit ille quidem anno milleſimo quingenteſimo decimo quinto Carolum V. qui tum temporis nihil quàm Hiſpaniæ Rex erat, & Belgii Princeps, Hannoniam eſſe jure quo optimo, omni clientelâ ſolutam ac liberam, nec relevium, ut vocant, ſeu redemptivum cuiquam debere diligentiùs edoctum, reſcripto caviſſe ne Cancellarius deinceps, aut magnum Mechlinienſe Conſilium publicas literas, aut diplomata ſuo nomine obſignarent, quibus ſuprema Curia Montenſis teneretur, aut ejus quoquo modo minueretur authoritas.

Quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

V. Quibus ex rebus concludi poteſt Hannoniæ Comitatum inter allodia eſſe omnino libera & nemini obnoxia referendum. Quorſum verò id pertineat, aut in quo Reginæ cauſam hoc adjuvet, facilè intelligemus, ſi artic. quartum cap. 105. hujus conſuetudinis acri, & attento animo perpendamus. In hæc itaque verba „ea Lex deſcripta eſt[a]. Allodia quæque „patrimonialia ſuſceptæ ex priori connubio prolis utriuſvis ſexûs, non ejus „quæ ex poſteriori eſt genita, futura ſunt. „At ſi fortè ex tranſverſaria ſucceſſione „poſt alteras, aut tertias nuptias ea bona „obtigerint, tum ejus matrimonii cujus „tempore obvenerunt, ductâ ratione, „ad liberos ex eodem connubio procreatos deferentur. Quod in quæſitis etiam „allodiis obtinebit: nam ineunda eſt ra„tio temporis quo bona quæque ſunt „acquiſita; adeo ut cùm virilis, tum „ſequioris ſexûs proles in ea bona ſuccedat, quæ matrimonii unde progna„ta eſt, aut viduitatis tempore ſunt com„parata.

[a] Les alleux patrimoniaux appartiendront aux enfans du premier mariage, fils ou filles, & non aux enfans du mariage ſubſequent; mais s'ils eſcheoient collateralement durant un ſecond ou troiſieſme mariage, ils appartiendront aux enfans deſdits mariages reſpectivement. Le meſme s'obſervera à l'eſgard des alleux acquis, leſquels appartiendront auſſi aux fils & filles de chacun mariage ou viduité d'iceluy, auquel leſdits acqueſts ſeront faits, ou à leur generation. *Art. 4. chap.* 105.

VI. Jam huic certæ, ſtabilique legi quæ ſint conjuncta videamus. Illud profectò neminem fallit, Hannoniæ Comitatum

ad

ad Regem Catholicum anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo primo prioris connubii temporibus Alberti Archiducis morte perveniſſe. Quæſito, an hæreditario jure hunc Principatum poſſederit Rex Catholicus, nihil hoc ad Reginam Chriſtianiſſimam. Quæ enim obtigêre hæreditates, quæque parta ſunt, & quæſita bona Lex eodem jure comprehendit. Cum itaque eo conſtante matrimonio unde Regina eſt procreata, Philippus IV. in poſſeſſionem Hannoniæ venerit, dubitari non poteſt, quin Regina patriæ conſuetudinis authoritate in eum Principatum ſuccedat.

At fortè Hiſpani tam apertæ legis judicio coacti negabunt Hannoniæ Comitatum inter bona allodialia eſſe numerandum. Verùm id tot argumentis, ac teſtimoniis probatum à nobis, & confectum fuit, ut infirmari nullo modo poſſit. Atque ut Regina id concederet, quod perſpicuè falſum eſt, Hannoniam feudum eſſe, nec jure uti quo optimo; vel hoc etiam nomine eum Principatum hæreditario jure, & patriis legibus vinceret ad ſe pertinere. Cum illud extra omnem controverſiam poſitum ſit, filiam ex ſuperiore connubio natam, in ſucceſſione feüdorum, quæ ſtante matrimonio ſunt acquiſita, vel ex tranſverſali linea obvenêre, virili etiam ſtirpi ex alteris nuptiis VII.

genitæ

genitæ præferri oportere. Id enim articu-
„ lo tertio cap. 91. ita ſancitum eſt. Quæ,
„ inquit, feuda ſunt à patre, vel matre con-
„ nubii, aut viduitatis tempore quæſita,
„ ad liberos qui ex eo matrimonio geniti
„ ſunt, quo ſuprà dictum eſt ordine per-
„ venient [a]. Nec minùs dilucidè artic. 7.
„ cap. 92. Quæ feuda in linea collaterali
„ obveniunt, eodem quo acquiſita hîc ha-
„ bentur loco, atque ad illius connubii
„ ſobolem manant, quo conſtante bo-
„ na devenêre. Articulo denique nono,
„ cap. 94. decernitur, quæ hæreditate
„ tranſverſariâ venêre feuda, aut prioris
„ matrimonii tempore ſunt acquiſita, diſ-
„ trahi à patre, aut alienari non poſſe:
„ etiam ſi nulla virilis ſoboles, ſed filiæ
„ tantùm ex iis nuptiis ſint ſuperſtites:
„ quòd in feuda quæ aut quæſita ſunt, aut
„ hæreditario jure ab agnatis tranſver-
„ ſariis venerunt, liberi utriuſque ſexûs
„ legitimo jure ſuccedant [b].

a Tous fiefs acquis par pere ou mere, conſtant chacun mariage ou viduité d'icelui, appartiendront & eſcherront aux enfans du mariage ou viduité, en tel ordre que cy-devant a eſté dit. *Art.* 3. *chap.* 91.

a Quant aux fiefs eſcheus en ligne collaterale, ou acquis en premier mariage, encore que filles dudit premier mariage, le pere n'en pourra faire l'alienation, de tant qu'enfans, que fils que filles, devront ſucceder és fiefs acquis ou eſcheus collateralement conſtant chacun mariage. *Art.* 9. *ch.* 94.

VIII. Quæcumque ergo ſit Hannoniæ conditio, aut ſtatus, & quoquo modo ad Regem Catholicum pervenerit, dubitare non poſſumus quin ad Reginam, quæ una ex ſuperiori connubio ſupereſt, hic Comitatus pertineat. Quid ergo in cauſa relinquitur, niſi fortè id unum,

quæſito,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

quæſito, an patrio jure Philippus IV. hoc feudum poſſederit. Quæ quidem ut dijudicetur quæſtio, duo ſunt nobis breviter perſtringenda. Primùm quâ ratione, quo titulo ad Regem Catholicum Hannonia devenerit; alterum quo diſcrimine profectitia bona, & adventitia ab Hannoniæ conſuetudine dividantur. Jam ut id quod priori loco quæſitum eſt, exequamur, res ipſa paulò altiùs videtur repetenda. Philippus II. ex prioribus nuptiis Iſabellam, ut ſuprà diximus, & Catharinam; ex poſterioribus Philippum III. ſuſceperat. Anno quingenteſimo nonageſimo octavo ſupra milleſimum Alberto Archiduci Auſtriaco Iſabellam nuptui collocavit; eique Belgii principatus in dotem eâ lege contulit, ut nullâ ex hoc matrimonio prole ſuperſtite ad Regem Hiſpaniæ, qui ex ſua ſtirpe eſſet oriundus, Belgium univerſum recurreret, idque ex donationis cauſa poſſideret. Albertus mortem obiit anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo primo. Philippus IV. ſtatim donatarii nomine Belgii poſſeſſionem adiit, miſſis ad Provinciarum Ordines in hæc penè verba
„ conceptis literis. Dilectiſſimos, & fi-
„ diſſimos Conſilii noſtri Provincialis
„ Flandrici cùm Præſides, tum Sena-
„ tores plurimâ ſalute impertit Philip-
„ pus Hiſpaniarum Rex. Cum Deo ita
„ volente, Sereniſſimus Archidux Au-
ſtriæ

„ ſtriæ Albertus Belgii , & Burgundiæ
„ Princeps ex hac vita migraverit ; cum-
„ que ex iis clauſulis quas Philippus II. fe-
„ licis memoriæ Hiſpaniarum Rex, Avus,
„ & Dominus noſter ceſſionis inſtrumen-
„ to adhibuit , ad Coronam noſtram ii
„ Principatus redierint, &c.

IX. Maneat igitur Philippo IV. tamquam donatario Belgii Principatus (uti publicis literis, ac monumentis ipſe teſtatus eſt) obtigiſſe. Nunc illud quæritur, cujuſmodi ſit illa donatio ? quæque ex illius cauſa ad Regem Catholicum venerunt, quo ſint habenda loco, utrùm inter adventitia bona, an profectitia ſint numeranda ? Hoc ipſum paulò diligentiùs intueamur.

X. Eas quidem donationes quæ à parentibus in liberos manant, in duo genera conſuetudo diſtinguit. Unum eſt earum rerum quæ cùm filio natu maximo, aut filiæ (ſi virilis proles defecerit) ratæ ſint, & certæ, huic tamen ut hæredi proximo, & rectâ ſerie deſcendenti conferuntur : Alterum ea bona comprehendit, quæ uni ex liberis non tamquam hæredi primario, ſed ex ſola parentum munificentia , & benignitate tribuuntur. Prioris quidem generis donatio cum nihil ſit quàm anticipata ſucceſſio, aut prærogatio quædam, ad profectitia jura omnino eſt revocanda. Nec quicquam eo nomine feudi benefici domino

domino perſolvitur. Sed ab ea longè abeſt, diſtatque plurimùm quæ ex ſola parentum liberalitate donatio proficiſcitur: hæc enim eodem prorſus jure quo parta ære prædia continetur: atque hinc jura dominica ex conſuetudine ſunt perſolvenda. Utrumque hoc donationum genus art. 1 & 2. cap. 93. enucleatè, & diſtinctè habemus explicatum. Qui feuda, " inquit articulus primus, cùm patrimo- " nialia, tum acquiſita poſſidet, ex iis u- " num aliquod in filium natu maximum, " aut nullâ exiſtente virili ſobole, in fi- " liam primogenitam, tamquam in proxi- " mum hæredem nullo hinc perſoluto do- " minico jure, poteſt tranſmittere: etiamſi " pater filios natu majores, & relictâ ſo- " bole jam extinctos ante ſuſceperit. Qui " tamen à parentibus ſic feudum acce- " perit, iis mortuis feudi uberioris eli- " gendi, & quod antè poſſederat in me- " dium conferendi poteſtas illi futura eſt. " Sin filius è vita ſine liberis exceſſerit, " hoc feudum ad patrem ſuperſtitem non " revertetur. Viduæ quoque mulieri licet " feudi poſſeſſionem à ſe dimittere, atque " in filium natu maximum eâ lege trans- " ferre, dum æs alienum tum à parentibus " contractum, cum alienandi habebant " facultatem, diſſolvatur. "

Qui proximè ſequitur articulus alterum donationis genus complectitur. XI.

Verùm,

„ Verùm, inquit, ſi alter conjugum filio
„ ſuo non ut primogenito & potiſſimo
„ hæredi feudum ſolutis juribus domini-
„ cis conceſſerit; filio ſine prole ſuperſti-
„ te extincto, feudum ad parentes, ſi ad-
„ huc vivunt, revertitur: cum id genus
„ donationis eodem, quo res quæſita, ha-
„ beatur loco: hæc quidem conſuetudo.
Ex quibus intellectu facile eſt Hanno-
niam non alio quàm rei quæſitæ nomine
fuiſſe à Rege Catholico poſſeſſam. Nec
venire in mentem ulli homini poteſt, eam
donationem quæ Infantis Iſabellæ dotali
inſtrumento continetur, à Philippo II.
in nepotem ſuum Philippum IV. ut in pri-
mogenitum, & præcipuum hæredem eſſe
profectam. Quò enim pater filium, ut di-
rectum, & primogenitum hæredem poſ-
ſeſſione aliquâ donare poſſit, id ante omnia
requiritur, ut is exiſtat, qui hoc afficitur
munere. Neque ullâ mentis agitatione
conſequi poſſumus, ut qui in rerum natu-
ra adhuc non eſt, in eum quicquam pri-
mogeniti, & potiſſimi hæredis nomine
conferatur. Cum itaque nondum natus
eſſet Philippus IV. necdum ejus pater
uxorem duxiſſet, cum Iſabella nuptui eſt
collocata, quî potuit ad illum hoc titulo
ea donatio pertinere?

XII. Neque id nos fallit, dotali inſtrumen-
to caveri poſſe ut ex naſcituris filiis ma-
ximus prædium aliquod, aut fundum
poſſi-

poſſideat. Præterquam enim ex jure gentium nullum ferè conventionum genus in dotale inſtrumentum non cadit; favore etiam nuptiarum proles jam nata quodammodo fingitur, quæ familiæ votis eſt & ſpe concepta. Sed in hac cauſa nihil eſt conſimile. Cum enim parentes ex liberis jam natis primogenitum eligunt, in quem ſua bona ut in primum, & legitimum hæredem tranſmittant, is profectò dici non poteſt, aut concipi natu maximus, qui nondum hujus lucis uſurâ fruitur.

XIII. Quod ſi quis in eo perſtare, & tam abſurda velit defendere, hujus pertinaciam non quæſitis rationibus, ſed ipſius legis authoritate convincemus. Eodem quippe ſancitur articulo ut parentes qui hoc munere primogenitum ſuum demereri volunt, rei ipſius poſſeſſione, & proprietate dimiſſâ, eam ſtatim in donatarium, ut in legitimum, & potiſſimum hæredem transferant. Jam illud quærimus, an parentes eum poſſint in bonorum poſſeſſionem mittere, quem in hanc lucem nondum emiſère? An veſtiri feudo poſſit, qui nondum hauſit hanc vitalem auram? Quod denique fuit legis conſilium, quæ ſententia, cum eodem ſtatuit articulo poſſe à parentibus filium donari feudo, etiamſi alios fortè liberos ſuſceperint ætate majores, qui relictâ ſtirpe deceſſerint?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

rint? An conſuetudo liberis ex natu maximo progenitis contra repræſentationis legem ratum, & præcipuum jus eriperet, quò id in filium aliquando naſciturum, tanquam in directum & primarium hæredem conferret? An neglectâ mortui filii prole ſuperſtite, eos qui nondum in lucem editi ſunt, quique forſitan poſt longa temporum intervalla naſcentur, reliquis anteponeret? Poſtremò quid ſibi vult ea legi adjecta clauſula, quâ filio cui donatum eſt à parentibus feudum, ſine prole extincto, collatum feudum ad patrem, aut matrem unde id profectum eſt, non reverſurum decernitur? An non intelligimus conſuetudinem de iis qui vivunt, quique ante parentes obire poſſunt, non de naſcituris filiis quicquam præſcribere? Quis etiam non videat patrem adduci nunquam poſſe, ut bonorum ſuorum diſcrimen adire velit, niſi idem & ſanguinis benevolentiâ fuerit, & vehementi quodam amore in filium quem genuit, quem novit, quem præcipuè diligit, inflammatus? Quamobrem legis voluntas, mens, verba, donationis ipſiu[s] conditio eam quæ affertur defenſionem ita evertunt, ut vix excogitari poſſit quid quam abſurdius, quàm donationem il[-]lam ad liberos nondum editos pertinere. Quid enim, ut ſemel dicam, niſi vis in[-]gens cujuſdam amoris hæc munera pote[ſt] à parentibus extorquere? Nec ſua ſibi bo[-]

n[-]

na detrahent, ut eadem filio tanquam legitimo, & primogenito hæredi impertiant, niſi ſenſu quodam amoris, & paternâ charitate impulſi hunc filium, aut gnatam primigenam complectantur, foveant, in oculis habeant ut primum nuptiarum conceſſum à Deo munus, ut primævam conjugalis benevolentiæ gemmam, in quâ ſenectus eorum quodammodo refloreſcet, & mortui penè reviviſcent. Hoc dono videtur pater amoris quadam ſimul & bonorum effuſione in filium jam commeare, atque in illius mutua benevolentia conquieſcere: hunc ſpectat ut memoriam nominis, ſubſidium generis, & familiæ ſpem.

Jam quid huic ſimile habet illa Philippi II. donatio, ſi ad nepotem ejus Philippum IV. referatur? An ille Philippo III. aut ex eo futuris nepotibus, quos ea donatio complectitur Principatus, ut proximo, & primogenito hæredi ſe tradere ſcripto teſtatus eſt? Quid denique in hac liberalitate ſecutus videtur, quos potiſſimum ornare voluit? An Philippum filium, quique ex eo naſcerentur? at non primo, ſed extremo duntaxat loco hæredes eos inſtituit, neque illos nominatim deſignavit. Iſabellam primùm, & Archiducem Albertum donavit Belgio, tum prolem ex iis nuptiis, nepotes, & in longum ævum fu- XIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

turos hæredes ſcripſit; extremo tandem loco eam adjecit clauſulam, quâ ſi fortè Archidux, & Iſabella abſque liberis è vita diſcederent, aut eorum ſoboles omnino deficeret, tum ſe Belgii Principatus in eum, qui tum Rex Hiſpaniarum ex ſua ſtirpe futurus eſt, conferre declaravit.

XV. Poteſtne igitur quiſpiam dicere Philippi IV. ut proximi, & primogeniti hæredis in eâ donatione ductam eſſe rationem; cum ille, & Philippus III. ejus pater cæteris poſthabiti, & extremo familiæ loco adſcripti fuerint? Quæ à patre in filium, ut in potiſſimum hæredem donatio proficiſcitur, ad eum cujus cauſâ pater ſe ſuis exuit bonis, præcipuè eſt referenda, non ad eos ſpectat quos pater in extremum ordinem rejicit, quique illius muneris fructum tum demum percipient, cum nemo ex ea ſtirpe fuerit ſuperſtes. Ita enim ſolent agere parentes cum filiis quos exhæredare, aut cum extraneis, quibus utcumque volunt gratificari. At filii natu maximi primæ in donationis inſtrumento partes, ut in bonorum ſucceſſione, & in patris benevolentia eſſe debent.

XVI. Quid multa? Cum Philippus II. nullâ ex eo connubio relictâ ſobole Belgii Principatus in eum qui ex ſuâ ſtirpe futurus

turus eſſet Hiſpaniarum Rex, tranſtulit: an neceſſe eſt ejus mentem de proximo & legitimo Hannoniæ Comitatûs hærede interpretari? Cum poſſit accidere ut qui in Regnum Hiſpaniæ potiſſimi hæredis titulo ſuccedit, idem nihil habeat juris in Comitatum Hannoniæ. Neque enim ea jura confundi, ſed diſtingui inprimis debent. Virilis quippe ſoboles ex quocumque ſit nata connubio, excluſo penitus ſequiori ſexu vocatur ad Hiſpanici Regni gubernacula. At Comitatus Hannoniæ non eodem utitur jure. Nam quæ ex prioribus nuptiis filia eſt progenita, poſterioris connubii virilem ſtirpem excludit; eaque in bona quæcumque ſint illa, ſeu allodialia, ſeu feuda, ſeu acquiſita, ſeu ex tranſverſaria ſucceſſione obvenerint, ſeu denique in recta ſerie donata ſint (dum ea non fuerint ex legitimi, directi, & primarii hæredis cauſa collata) ut hæres proxima, & legitima ſuccedit. Hanc itaque vim habuit illa donatio, ut Comitatus Hannoniæ tamquam res acquiſita, & adventitia ad Philippum IV. pervenerit. Adeo ut ne tenuiſſima quidem de jure Chriſtianiſſimæ Reginæ in eum Comitatum, ſeu feudum ſit, ſeu allodium, dubitatio eſſe poſſit. Ne illud quidem ſilentio tranſeundum videtur, hunc Principatum patriæ conſuetudinis authoritate, quæ

 ſtatim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ſtatim à ſoluto matrimonio bonorum dominium in liberos tranſmittit, ad Iſabellam Infantem eſſe delatum. Non potuit igitur Philippi II. donatio jura hæreditaria Iſabellæ Principis evertere; aut ullo modo eam prohibere quominùs patriæ conſuetudini potiùs quàm parentis muneri illam hæreditatem referret acceptam: dominium quippe, aut proprietas Hannoniæ jam lege municipali ad Sereniſſimam Infantem pervenerat.

XVII. Cum igitur Rex Catholicus Philippus IV. ſtante priori connubio ſtatim ab Archiducis morte illam adierit hæreditatem, & potiori jure fuerit quàm Catharina Infans quæ Sabaudiæ Duci collocata ex eo matrimonio liberos ſuſceperat: quòd ex eadem conſuetudine frater consanguineus germanæ ſorori in tranſverſariâ feudorum ſucceſſione præferatur: liquet profectò Philippum IV. non patrio, ſed quæſito jure in hanc fuiſſe ſucceſſionem vocatum. Præſertim cum ex ea conſuetudine quæ in linea tranſverſali obvenêre feuda, eadem quæſitorum loco habeantur, atque ad prolem ejus connubii, quo conſtante bona obtigerunt, omnino pertineant.

XVIII. Concludi itaque jam hic locus poteſt; cum ejus Provinciæ inſtitutis, & moribus ſic Reginæ cauſa ſepta ſit & munita, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

nunquam fuerit ulla munitior: nec jus tam certum, tam manifeſtum, & vetuſtate ipſa roboratum citra publicæ libertatis labem, & ſummam rerum confuſionem violari ullo pacto poſſit. Nihil enim habet ea Provincia ſanctius, quàm patrias leges, quàm Majorum inſtituta, quàm jura publica, quæ ſi in ſuprema dignitate oppreſſa, aut deſerta fuerint, ſimul communis convelletur utilitas, & quatientur fundamenta libertatis. Neque enim quicquam in privatorum fortunis certum, aut jus ullum ſatis erit communitum, ſi ſummi Imperii dignitas publicâ lege teneri, & conſervari non poſſit, aut deſcripta in Principatus ſucceſſionum jura perturbentur.

Arteſiæ Comitatus.

NEque hîc longâ oratione opus videtur, quâ hunc Comitatum ad Reginam Chriſtianiſſimam eſſe devolutum oſtendamus: cum id conſuetudo articulo viceſimo octavo tam perſpicuè conſtituerit, ut non potuerit apertiùs. Quòd ſi, " inquit, alter conjugum ſuperſtes liberis " ex priori matrimonio natis ſecundas " inierit nuptias, & ſuſceptâ ex his prole " è vita migraverit; quas priori conſtante " connubio poſſedit hæreditates, hæ omni- " no ad ſuperioris matrimonii ſobolem " pertinebunt: nec quicquam juris in eas " poſ- I.

„poſſeſſiones liberi ex poſterioribus nu-
„ptiis geniti conſequentur [a].

[a] Que ſi le ſurvivant des deux conjoints, ayant enfans de ſon mariage, ait convolé en d'autres nopces, dont ſeroient iſſus d'autres enfans, iceux enfans d'iceluy dernier mariage ne peuvent demander aucun droit par le treſpas dudit ſurvivant, des heritages dont il a poſſedé durant ſon premier mariage.

II. Non ſuccurrit nobis cuncta diligenter intuentibus quid adverſus tam certum, & definitum jus poſſit afferri vel ſpecie probabile. Conſuetudo quippe aut bonorum, aut ſexuum diſcrimini nullum ſubterfugii reliquit locum. Quid enim? an virilis ex ſecundo matrimonio proles fœminas ex ſuperiore genitas excludet; aut fortè nihil de feudis eâ lege decernitur? Utramque ſanè cavillationem non ambiguis, ſed clariſſimis verbis ſuſtulit conſuetudo, cum omnem ſobolem ex poſteriori connubio ab ea quæ ex ſuperiori fuit procreata, rerum immobilium poſſeſſione dejici apertiſſimè conſtituit: cumque hæreditatum utitur voce, & feuda, & allodia, & clientelaria prædia manifeſtè complectitur.

III. Accedit illud quoque minimè prætereundum, hoc juris ita univerſim in ea regione uſu, & moribus eſſe comprobatum, ut generalis Arteſiæ conſuetudo longiùs progreſſa ſtatuerit ſecundæ uxoris doarium, quod in ſolo uſufructu conſiſtit, non poſſe in iis prædiis collocari,

locari, quæ maritus conſtante priori connubio poſſederat. Ex quo quidem intelligi par eſt, utrique conſuetudini hoc fuiſſe propoſitum, ut ſecundæ nuptiæ nihil de priorum bonis aut poſſeſſionibus detraherent. Atque hinc non juſtitia modò, & æquitas illius quem initio attulimus articuli confirmatur: ſed omnem omnino defenſionem quâ uti poſſet Hiſpaniæ Conſilium, præreptam arbitramur. Nam fruſtra eas leges inter ſe collidi, & ſibi invicem repugnare contenderet: cum generalis conſuetudo tam ſevera, & reſtricta videatur, ut ne id quidem marito permittat, poſterioris conjugis doarium in his bonis quæ ſtante priori matrimonio illius jure mancipii fuerant, conſtituere. Neque adeo nobis dubitare licet quin rerum immobilium dominia ad liberos ex prioribus nuptiis procreatos ea conſuetudo devolverit. Nec enim eſt ulla cauſa cui magis faveatur quàm doarium: neque ulla res eſt cui mariti bona (ſi poſteriorum nuptiarum invidiam ſuſtuleris) potiori jure adſtringantur. Generalis itaque Arteſiæ conſuetudo Atrebatenſi nedum repugnat, ut hujus vim, & ſeveritatem illa plurimùm augere videatur. Deinde inter utramque conſuetudinem tanta eſt in iis potiſſimùm quæ ad ſucceſſionum jura pertinent, conſenſio, ut nihil ad ea quæ Atrebatenſis ſanxerat, generalis adje-

cerit; ita ut ne titulus quidem de ſucceſſionibus Arteſianæ conſuetudini acceſſerit. Jam illud minimè dubium eſt quod Alder. a Pariſius b, Sal. Julius c, Criſtin. d & alii Doctores definiunt; quæ ſunt in more primariæ civitatis poſita, aut lege ſancita, hæc ab omni civitati ſubjectâ regione, ubi propria ſtatuta defecerint, omnino ſervari oportere. Quamobrem hunc Comitatum ad Reginam eſſe devolutum utriuſque conſuetudinis authoritate confectum, & demonſtratum arbitramur.

a Conſuetudo civitatis ſervanda eſt deficiente conſuetudine ſubditorum. *l. 6. de feud. deciſ. 56.*

b *Conſ. 15.*

c Omnes civitates conſuetudinem Romæ ſequi, quæ caput eſt orbis terrarum, non ipſa alias civitates. Romam autem intelligimus non modò veterem, ſed etiam Regiam noſtram.

d Proinde ſtatuta civitatis dominantis, uti cenſui in cauſa Domini de Couber contra Dominum Baronem de Mortaigne, debent obſervari à ſubditis in defectum propriorum ſtatutorum: cum illa ſtatuta in defectum propriorum debeant illis eſſe propria, & ſic tamquam propria ab illis obſervari ſecundum Naſcard. Alexandr. &c. *In fine Conſil. Mechlin.*

Ducatus Cameracenſis cum Cameraceſio, & civitatis Arce Marchionatûs dignitate inſignitâ.

I. NOn alia magis prioribus nuptiis favere, aut majori eas verborum honore proſequi videtur, quàm Cameracenſis conſuetudo. Illuſtres quippe, & nobiles nuptias identidem eas ſolet appellare. Quaſi alteræ nuptiæ aliquâ libidine contactæ, à primæva dignitate nonnihil degenerent. Quin etiam lon-

giu

gius progreſſa conjugem ſuperſtitem liberis ſuis ita mancipatum, & honeſtæ viduitatis adſtrictum vinculis judicat, ut iis diſruptis, & ſecundarum nuptiarum laqueis impeditum in duriorem ſervitutem malè quæſitâ libertate delapſum arbitretur. Hinc ſoluto matrimonio ſuperſtitem omni bonorum immobilium donatione, permutatione, & alienatione prohibet: niſi fortè omnium liberorum conſenſus, necnon Judicis authoritas acceſſerit. Hoc utique articulo viceſimo dilucidè ſancitum legimus. [a] Soluto, inquit, " priori matrimonio, neuter conjugum " alterius ſuperſtes rem ſoli, aut feu- " dum, aut aliud quodvis prædium, " quod feudi lege non teneatur, vendere, " commutare, donare, aut quacumque " aliâ ratione poterit alienare; niſi " omnium liberorum, qui coram adeſſe, " & quam leges ad liberum conſenſum " exigunt, ætate idoneâ, & perfectâ " eſſe debent, aut ſaltem tutorum, vel " curatorum conſenſus, ac legitima de- " mum Judicis authoritas interceſſe- " rit; aut certè niſi quid aliter cum " empta ſunt prædia, in publicis cautum " ſit inſtrumentis, aut pactis dotalibus " inter conjuges aliud convenerit, & " contraria legi conditio ſit verbo nun- " cupata; aut denique interjecto viduita- "

[a] Homme ou femme ayant enfant, ou enfans vivans du premier mariage briſé & ſeparé, ne peut valablement vendre, changer, donner ny autrement aliener ſes heritages, tant fiefs que mains fermes, ny autrement en diſpoſer, ſinon du libre conſentement, competence, & devoir de Loix actuelles & perſonnelles de tous leſdits enfans, &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

tis tempore, quæ res alienatur, fuerit acquiſita.

II. Articulo itidem primo & viceſimo ita in eamdem ſententiam præſcribitur. „Quòd ſi, inquit, liberi quorum conſen-„ſus exigitur, aliis quoque liberis ex ſe „procreatis ſoluto connubio mancipen-„tur, nihil etiam jure fieri poteſt cirta „horum conſenſum, allatis ſupra con-„ditionibus munitum.

III. His demum concinit articulus teſta-„mentorum titulo comprehenſus. Qui „ex priori, inquit, connubio liberis „addictus eſt, hic legare ampliùs non „poteſt, quàm pro rerum mobilium, „aut viduitatis tempore quæſitarum fa-„cultate, dotis, & funeris hinc deductis „oneribus.

IV. Non aliud profectò quàm legalis quædam ſubſtitutio in gratiam prioris connubii adverſus conjugum ſuperſtitem, à lege municipali inducta hoc triplici articulo continetur. Hæc quippe conſuetudo, non ſolùm ut ſuperiùs allatæ, jus devolutionis; ſed etiam quamdam totius familiæ causâ comparatam ſubſtitutionem invexit, quâ bonorum dominia ad prolem ex priori connubio procreatam, quaſi per fideicommiſſum ita tranſmittuntur, ut conjugum ſuperſtiti omnis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

omnis interdicta ſit alienatio, Quò enim ſpectant quæ protulimus verba. ſi con-" jugum ſuperſtes liberos ſuſceperit, nihil " bonorum quæ conſtante priori connu-" bio poſſedit, citra liberorum conſenſum " poteſt diſtrahere. Quòd ſi ex his liberis " nepotes fuerint procreati, horum quo-" que conſenſus requiritur. An non per-" ſpicimus parentem ſuperſtitem non ſolùm ſuis liberis, ſed nepotibus etiam recto ordine deſcendentibus eâ lege ſic illigari, ut citra horum voluntatem nihil poſſit diſtrahere? Jam quid liberorum, & nepotum conſenſu opus eſt, ni ſtatim à ſoluto matrimonio nati inde liberi bonorum omnium jure mancipii domini cenſeantur? Fruſtra quippe & liberorum, & nepotum, & tutoris, & Judicis requiritur authoritas, ſi ad ſuſceptam ſobolem rerum immobilium jus, & dominium jam à ſoluto connubio non pervenerit.

V. Neque in alium ſenſum torqueri poſſunt ea conſuetudinis verba, quibus parentes prioris connubii ſoboli addicti, & mancipati dicuntur, quàm ut illi quoddam ſervitutis genus à lege ſibi impoſitum, & ſuis ſe liberis quodammodo obnoxios eſſe meminerint. Nec demum alia ſubeſſe cauſa poteſt cur conjugum ſuperſtes rem immobilem prioris connubii temporibus à ſe poſſeſſam alienare, aut teſtamento relinquere prohibeatur, niſi earum

rerum dominium jam in liberos conſuetudo tranſmiſerit. Quidquid enim non adhibito eorum conſenſu diſtractum fuerit, id poſſunt repetere, & contractus jure ipſo reſcinditur.

VI. Quare aliud quiddam præter futuræ ſucceſſionis ſpem à morte alterius conjugis ad liberos delatum eſſe fatendum eſt. Neque enim ſi lege naturæ, & omnium populorum inſtitutis liberi in ſpem paternæ hæreditatis naſcuntur, & in eorum bona ſuccedunt, ſpes illa parentibus eripit alienandi facultatem. Hoc autem ſpectare conſuetudinem, hoc velle, ut bonorum dominium ſubſtitutione quadam ad liberos ex priori connubio natos transferatur, id magno eſt argumento, quòd præter liberorum voluntatem, & conſenſum, Judicis etiam authoritatem requirat, quò rata eſſe poſſit alienatio. Illud quippe fideicommiſſum à conſuetudine inductum non magis ei quæ extat, quàm futuræ etiam ſoboli proſpicit. Ne qua igitur ſuſpicio ſit liberos paternâ poteſtate, aut tutorum fraude, aut aliâ ratione circumſcriptos ſuum adhibuiſſe conſenſum, ut publica Judicis interponatur authoritas, eadem lege decernitur.

VII. At fortè nimiùm dura, & acerba videri poſſit ea conſuetudo, quâ liberi ex ſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

cundis nuptiis progeniti ab omni paterna ſucceſſione removentur. Non ita eſt. Præterquam enim in bonorum mobilium, & viduitatis tempore quæſitorum partes hi vocantur; artic. etiam viceſimo tit. de ſucceſſionibus, magnâ prudentiâ iis conſuetudo proſpexit. Nam portionem eorum legitimam in his bonis quæ ignobilia, & cenſualia dicuntur, quæque parentis ſuperſtitis fuerunt, ita collocavit, ut partem dimidiam ſuperioris matrimonii proli præcipuo quodam jure ratam eſſe voluerit: partem verò alteram utriuſque connubii liberis viritim, & inter capita dividendam reliquerit. Prædia, inquit, "quæcumque feudi lege non poſſidentur, "in primum, & nobile matrimonium, "quo die initum eſt, collata; ab utrovis "parentum ea venerint, ejuſmodi ſint, "ut pars eorum dimidia ad liberos ex "eo connubio natos pertineat, iique in "partem alteram cum ſobole ex ſecundis "nuptiis procreata ex æquo, & in capita "ſuccedant. "

VIII. Sapienter quidem lex prioribus nuptiis bona quæque nobilia, alteris partem duntaxat dimidiam rerum ignobilium, quæque gentilitio jure non poſſidentur, ſimul cum ſuperioris connubii prole dividendam indulget. In quo ſanè à Mechlinienſi conſuetudine non aberrat, quâ prioris matrimonii liberi in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

feuda ſuccedunt, rerum immobilium, & in clientela poſitarum parte dimidiâ liberis ex poſteriori connubio genitis relictâ. Ex quibus recte colligimus Ducatum Cameracenſem, quem Rex Catholicus prioris connubii temporibus poſſedit, ad Reginam Chriſtianiſſimam hæreditario jure, & patriâ conſuetudine eſſe devolutum. Nihil hîc de Arce Cameracenſi à Carolo V. anno 1543. extructa, ejus adminiſtratione Philippo II. iiſque omnibus qui in Ducatum Brabantiæ, Hannoniæ, Flandriæ, & Arteſiæ Comitatus ab eo ſuccederent, in feudum conceſsâ, neceſſe eſt attexere; cum ad Reginam ii Principatus patriis legibus, & ſanguinis jure pervenerint. Hanc igitur Arcem Marchionatûs titulo decoratam, non ſolùm conſuetudinis authoritate, ſed etiam perpetui fideicommiſſi jure, ut Brabantiæ Dux, ut Hannoniæ, & Arteſiæ Comes meritò ad ſe pertinere contendit.

Burgundiæ Comitatus, & Ducatus Luceburgenſis.

I. HOc jure eſt Burgundia, ut fratres unà cum ſororibus omni ſublato aut ſexuum, aut nuptiarum diſcrimine, in partes æquas delatæ hæreditatis vocentur, & bona quæcumque ſint illa æquabiliter partiantur. Nihil hîc loci eſt aut ſexûs, aut priorum nuptiarum prærogativæ. Quam-

Quamobrem pars hujus Comitatûs tertia ad Reginam Chriſtianiſſimam ex patria conſuetudine pervenit, quæ reliquæ ſunt duæ partes inter Regem Catholicum, & juniorem Infantem nunc Imperatricem ex æquo dividentur, neque in re tam facili, & uſitata diutiùs eſt immorandum.

II. Non eodem prorſus jure utitur Ducatus Luceburgenſis: nec æquabilis omnino eſt inter fratrem, & ſororem bonorum diviſio: ille ſiquidem in duplam, hæc in dimidiam dumtaxat hæreditatis partem ſuccedit. Quamobrem Rex Catholicus ex ſemiſſe, Regina Chriſtianiſſima ex quadrante Luceburgenſis Ducatus hæres futura eſt; alterum quippe ſemiſſem ex æquo cum Sereniſſima Infante ſorore ſua nunc Imperatrice partietur. Sic enim articulo nono conſuetudinis ſtatuitur, ut ſoror dimidiam bonorum " partem habeat, quæ uni ex fratribus tri- " buuntur. Verùm ut Reginam ex qua- " drante ſolùm in hunc Ducatum ſuccedere ultro concedimus, ſic Marchionatum Orolaunenſem, & Comitatum Rupenſem ad eam pertinere jure, meritoque contendimus, quòd hæc dominia Brabantiæ Ducatui ſubjaceant; atque adeo jus devolutionis in prioris connubii gratiam inductum, in his quoque regionibus obtineat. Quod quidem ſuperiùs jam fuit uberrimè demon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

demonſtratum, cum de Antverpienſi civitate ageremus, quæque ibi ſunt explicata, nihil neceſſe eſt hîc retexere. Quamobrem rationibus ſubductis, & ad patrias conſuetudines omnibus revocatis, Regina Chriſtianiſſima ex quadrante in Ducatûs Luceburgenſis, ex aſſe in Marchionatûs Orolaunenſis, & Rupenſis Comitatûs hæreditatem vocatur.

III. Quòd ſi quis ſumma quæque Imperia dividi non poſſe contenderit; cum eo quidem non admodum pugnabimus; ſed ſupremam is dignitatem ab eo cui juncta eſt dominio, aut fundo ſeparandam eſſe meminerit. Id enim in quo maximè ſummi Imperii decus conſiſtit, ſcindi in partes, & diſtrahi nullo modo poſſe libenter concedimus; ſed dominium ipſum, ut alia quæque prædia, diviſionem admittit. Ac ne aliena quæramus exempla, vir ſingulari doctrinâ Andreas à Quercu hujus Ducatûs dominium inter Valleranum, & Eliſabetham hujus Imperialis domûs ſobolem anno 1287. diviſum fuiſſe ex Annalium monumentis commemorat.

In Hiſtoriâ Luceburg. domûs.

IV. Habemus itaque Reginæ Chriſtianiſſimæ jura in varios Hiſpanicæ Dominationis Principatus, cum univerſim, tum ſigillatim explicata. Quæ quidem tot rationibus ſubnixa, tot exemplis & teſtimoniis

moniis roborata, tot legum authoritate ſunt communita, ut neque Rex Chriſtianiſſimus ſine ſuæ exiſtimationis periculo poſſit ea negligere, neque Rex Catholicus ſine maxima injuria eos Principatus detinere. Hos quippe Gallia ſibi connubii jure aſſerit; hos ſanguinis neceſſitudine, & naturæ lege devincta cedere tenetur Hiſpania; nec ſubditi poſſunt legum ſuarum vim, & authoritatem contemnere, aut legitimæ Principis Imperium defugere? Hæc Regis Chriſtianiſſimi conjux, Regis Catholici ſoror, & eorum populorum Princeps: nec maritus uxoris cauſam poteſt deſerere, aut frater eam impugnare, aut ſubditis denique fas eſt à Principe ſua deficere, quin vel ſacri connubii jura, aut ſanguinis vinculum, aut fidem, & obſequium non ſine nefario ſcelere perrumpant.

Summa eſt totius Europæ expectatio, quæ mariti, quæ fratris, quæ ſubditorum in lectiſſimam, & ſui ſæculi decus Principem conſtabunt officia. Nemo, ut putamus, ignorat Regem Chriſtianiſſimum oblatam ſibi temporum occaſionem ad res ſuas, & utilitates potuiſſe convertere. Sed quæ illius ſumma eſt moderatio, victricibus armis ſocios tueri, & omni prohibere injuriâ longè præſtabilius duxit, quàm jus ſuum bello, & armis perſequi. Id quoque incredibili ſuo in V.

dul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

dulciſſimam conjugem amori, Regis Catholici neceſſitudini, pacis publicæ ſtudio, ac benevolentiæ demum, quâ ſubditos jam ſuos complectitur, deberi à ſe exiſtimavit, ut cauſæ ſuæ æquitatem, & Hiſpanorum injuſtitiam orbi terrarum probaret, & velut in conſpectu omnium exponeret, quò omni errore ſublato, & depulsâ contumaciâ, omnis inter potentiſſimos Reges controverſia, ad naturæ leges, & patrios mores referretur, ne quid ſapientiſſimi Ordines adversùs jura ſua, & leges municipales molirentur.

VI. Primùm itaque ut renuntiationis clauſula ex hominum memoria funditùs tolleretur, eam nec ſibi, nec Reginæ fraudi eſſe poſſe tot argumentis, & exemplis demonſtratum voluit, ut ne tenuiſſimus quidem ſcrupulus in cujuſquam ſani hominis mente reſidere poſſit. Tum conſuetudinum, & legum municipalium in Principatus authoritate univerſim conſtitutâ, ſua ſeorſim jura ad uniuſcujuſque Provinciæ mores diſtinctè & articulatim placuit exigere. Quare id unum reliquum videtur, & ex tribus propoſitis extremum, ut palam fiat Regem Catholicum dotali inſtrumento non potuiſſe ſacris Regni ſui legibus, & conſtitutis Provinciarum moribus adverſùs quæſita Reginæ Chriſtianiſſimæ jura derogare. Sed priùs occurrendum videtur cuidam

Pragma-

Pragmaticæ Sanctioni anno 1549. editæ, cujus præſidio Hiſpani adverſus omnes Regis Chriſtianiſſimi impetus ſe tutos putant. Hujus itaque Sanctionis authoritate Belgii Principatus in unum velut corpus à Carolo V. ſic redactos eſſe contendunt, ut unius tantùm Principis imperio adminiſtrari, nec ſcindi in partes, aut dividi ullo pacto poſſint.

VII.

Quàm leve ſit, & infirmum illud ſuffugium, quàm à veritate ipſa, & Provinciarum votis longè abſit illa conjunctio, ne ii quidem ignorant qui nobis hæc opponunt rationum ludibria. Id enim fatemur hoc Carolum V. animo agitaſſe, ut Belgii Provincias in unius cujuſdam Monarchiæ formam revocaret. Sed ubi omnium penè animos ab eo conſilio abhorrentes vidit, nec tam diſſimiles Provinciarum leges conciliari, aut ab iis quæ poſita ſunt in moribus Belgas poſſe diſcedere; nec pugnandum contra omnium voluntates, nec delenda Provinciarum jura, nec denique abrogandas conſuetudines ratus facilè ab ea ſententia deſtitit, ne convellere tentaret quæ non poſſent commoveri. Hoc quidem, ut alios omittamus, omnium qui Belgii Annales & monumenta literis prodiderunt, longè doctiſſimus Hugo Grotius diſertiſſimè teſtatur. Quamquam, inquit, Carolus Imperator de-
vertendo

vertendo ſtatu, componendiſque in "
Regnum civitatibus ſeriò conſulta- "
vit; præſertim ex quo Flandriam, "
Atrebateſque ab omni Francorum jure "
liberatos victoriæ Ticinenſis habuerat "
pretium: ſed diverſis moribus, inſti- "
Grotius Ann. lib. 1. fol. 6. tutis, & legibus deterritus eſt: nec tol- "
lere audebat, &c. "

VIII. Iſta quidem cum Provinciarum conjunctione non cohærent. Mirum id quoque rem tam illuſtrem, tam inuſitatam, in qua rerum penè ſumma verteretur, nullius Scriptoris teſtimonio confirmari. Illud denique meritò requirimus, ſi Belgii Provinciæ, ut Hiſpanis placet, in unum corpus rediere, quod uno, & eodem vel Regni, vel Ducatûs, aut Marchionatûs, aut quovis alio titulo decoratur; cur inter Regis Catholici inſignia tam diligenter ſeparantur? cur ille & titulorum, & ſigillorum tantâ varietate Belgii Principatus diſcriminat? Cur in fœdere Monaſterienſi Provincias à ſuo corpore avulſas fœderatis Ordinibus conceſſit? An non hæc videntur fictitiam illam Provinciarum connexionem omnino refellere?

IX. Hoc utique verius, quòd cum Carolus V. quam animo conceperat Provinciarum conjunctionem efficere non poſſet, cogitationes omnes ſuas & conſilia cò traduxit,

traduxit, ut earum ſaltem crebræ diviſioni occurreret. Cumque is cerneret non aliud magis huic conſilio obſiſtere, quàm quòd jure repræſentationis non omnes æquè Provinciæ uterentur, (hoc quippe juris ubi obtinebat, nepotes patruos, aut avunculos excludebant, in aliis contrà, potiori jure erant avunculi) Pragmaticam illam de quâ jam diu loquimur anno 1549. edidit, quâ quidem adhibito Ordinum conſenſu, in dominatricem tantùm domum, & Principum ſucceſſionem, cùm directam, tum tranſverſariam jus repræſentationis induxit, & omni contrariæ conſuetudini ita derogavit, ut unius Principis duntaxat, non privatorum jura hoc edictum comprehenderet. Jam quî poſſint ex illa Pragmatica colligere, ſic juncta eſſe, & indiſcreta Belgii dominia, & Principatus, ut nullo pacto dividi in partes, aut ſecari queant? cum illud potiùs ex eadem Sanctione perſpicuum ſit, non potuiſſe Carolum V. eam Provinciarum connexionem à Belgis impetrare. Quid enim erat cur in Regnatricem domum, quò minor eſſet diviſioni locus, jus repræſentationis inveheret, ſi jam unum corpus erat ex Provinciis compoſitum, ab omni ſeparatione tutum?

X. Sed neque hoc repræſentationis quà directæ, quà tranſverſariæ munus eſt, ut res antè diſſolutas, & divulſas conglutinet,

tinet, atque ex his unum quoddam corpus expers diviſionis efficiat. Cum enim ex immenſo tempore penè ubique gentium jus repræſentationis obtineat, diu eſt quòd in unum poſſeſſiones omnes coaluiſſent, & jam penitus eſſent inſectiles, ſi jus illud eam haberet vim, ut ſeparata quæque connecteret. Ex quo quidem perſpicitur quàm eorum levis ſit oratio, qui ex repræſentationis jure, quod in dominatricem familiam Carolus V. induxit, colligunt Belgii Principatus ſeparari ampliùs non poſſe. Hinc doctiſſimus Hiſtoriæ Belgicæ ſcriptor, cui hæc Pragmatica non fuit incognita, refert Carolum V. diverſis populorum moribus, inſtitutis, & legibus deterritum eam Provinciarum connexionem coram Ordinum cœtu ne auſum quidem proponere; ne quod obtinere non poterat fruſtra contenderet. Quamobrem illa Provinciarum conjunctio fictitia prorſus, & ab omni veritate procul ſejuncta eſt: cum nec Pragmatica, nec illius ætatis Scriptores, nec qui eos ſecuti ſunt, hujus meminerint: tametſi res tam illuſtris & ad poſteritatis memoriam inſignis in Pragmatica Sanctione non fuit omittenda; ſed cauſas ejus explicari omnes, & poſteritati commendari oportuit. Quem enim hominem vel mediocriter in rerum uſu, & publica adminiſtratione verſatum fugit, nec majori ſtudio

Grotius.

dio

dio quicquam, nec diligentiori curâ elaborari, quàm hoc conjunctionum genus, quo res antè diſperſæ in perpetuum unius dominationis vinculo continentur, & ſucceſſionum in Principatus jura ſæpe commutantur. Hinc etiam in parvis, & mediocribus rebus conjungendis hæ clauſulæ adhiberi ſolent, quibus omnis aut juris, aut facti ratio, quæ ſeparationem poſſet inducere, penitus abrogatur. Nec deſunt illæ cohæſionis ratæ, & perpetuæ, aut aliæ conſimiles voces, quibus omnis diviſio, quacumque ex cauſa oriri poſſit, omnino prohibetur. Hanc utique cautionem adhibuerunt Carolus V. & Philippus ejus filius, quando Limburgum cum Brabantia junxêre. Provincia, inquiunt, " noſtra Limburgenſis, quæque ultra " Moſam ſitæ ſunt regiones, cum noſtra " Brabantiæ Provincia in perpetuum con- " jungentur, nec ab ea poterunt unquam " ſeparari, &c. Eodem quoque modo " Antverpienſis civitatis cum eodem Ducatu connexio ab iis fuit confirmata. Antverpia, inquiunt, quæque huic ſub- " jecta ſunt dominia, civitatibus univer- " ſæ Brabantiæ ſic adjungantur, ut ab ea " nunquam divellantur. "

Quid eſt igitur cur nos ad Pragmaticam vocent, quæ illam conjunctionem omnino prætermiſit, & quod caput eſt, XI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

jus devolutionis, quo maximè illa cohæſio diſſolvi poſſet, non ſuſtulit? Cumque ex his Provinciis aliquæ ſacro Imperio ſubjaceant, non potuit ſanè fieri ea conjunctio non vocatis Septemviris Auguſtalibus; ex quibus tamen nemo tum adfuit, cum ea eſt Sanctio conſtituta; nemo ſuum conſenſum adhibuit, quo ſublato tollitur omnis hujus conjunctionis authoritas. Illud etiam requirimus, cur Philippus II. Hiſpaniæ Rex eo diplomate quo Brabantiæ jura, & privilegia confirmavit, non alia quàm Limburgi, Antverpiæ, & regionum quæ ultra Moſam patent dominia cum Brabantiæ Ducatu juncta, & in perpetuum connexa commemorat. Quòd ſi enim jam univerſa quædam, & ſolennis totius Belgii fuiſſet facta conjunctio, hanc ignorare non potuit Philippus, & fruſtra non inutilem modò, ſed etiam veritati minùs conſentaneam adhibuit exceptionem. Cumque is filiam Iſabellam Belgi dotavit, & cavit ne illa Principatus ni authoritate ſuâ, & conſenſu interpoſit divelleret, numquid apertiſſimè teſtatu eſt hos Principatus Sanctione illâ Pra gmaticâ in idem corpus non ita eſſe coi fuſos, aut inter ſe connexos, ut ſepara nullo pacto poſſint?

XII. Sed nimii forſitan ſumus in refeller do tam futili commento, quod ſi verb

neg

negaverimus, progredi non poſſint longiùs qui objecerint. Neque enim ullo teſtimonio, aut ullis id nititur monumentis: ſed potiùs contrà ſunt omnia. Et quidem validioribus telis, & grandioribus uti machinis decuit adverſus jura tot legum & conſuetudinum authoritate roborata.

His itaque confutatis id unum reſtat, ut videamus an potuerit Rex Catholicus in dotali inſtrumento ſacris Regni Legibus, & conſtitutis Provinciarum moribus derogare. Nam ſi illa valere debet derogatio, inutilis fortaſſe videbitur labor quem in ſtabilienda conſuetudinum authoritate exhauſimus; ac fruſtra Reginæ Chriſtianiſſimæ cauſam ad legum municipalium normam exegimus, ſi vis earum omnis illâ derogatione extinguitur. Hoc itaque loco nobis faciendum eſt, ut nihil Principibus in ſacras, & fundatrices Regnorum leges licêre, neque ab iis jura publica, & conſuetudines everti poſſe, idque ad ſummum Imperii decus, & Regum majeſtatem pertinere, ut Provinciarum ſtatus, & conſtitutos mores nequeant pervellere, cùm rationibus, tum exemplis demonſtremus. XIII.

NOn imminuit Princeps jura majeſtatis qui ſe promiſſorum fide, aut le- I.

gum vinculis obſtrictum putat. Neque enim alia eſt felicior neceſſitas, quàm quæ errare, aut labi non poteſt. In hoc quippe, ut Philoni Judæo viſum fuit, omnis perfectionis ſumma conſiſtit. Nec Princeps qui legibus obtemperat, humanæ idcirco ulli poteſtati, ſed ſibi uni, & propriæ authoritati ſe ſubjicit; non ille ſubditis, ſed juſtitiæ duntaxat, & rationi faſces ſummittit: hac ſeipſum lege devinxit, non vi, non neceſſitate ullâ, ſed ſuâ voluntate conſtrictus. Atque in hoc vel maximè ſuam majeſtatem commendat, cùm legum nutu regit Imperium, cùm eas colit, & Majorum inſtitutis parêre non dedignatur. Non alibi magis poteſtas Principis elucet, quàm in optimis legibus ſanciendis, & tuendis: omnis ejus cura, & diligentia in eo verſari debet, ut legibus benè conſtitutis cùm ipſe, tum ſubditi obtemperent. Nam, ut ſemel dicam, in hoc vera Principis, & ſempiterna gloria poſita eſt, ut colat ipſe leges quas condidit; quodque ſuis juſſis præſtat obſequium, nihil de ſumma ejus poteſtate in ſubditos detrahit: hòc utique major eſt, hòc ſublimior Regalis poteſtas, quòd jura præſcribat, quibus vel Principes ipſi teneantur. Quamquam non eadem eſt Principum quæ ſubditorum ratio; his quippe leges authoritate, & imperio; illis juſtitiâ, & æquitate præſunt. Neque enim alia ma-

Quod Rex Catholicus non potuerit in dotali inſtrumento aut Regni ſui legibus, aut Provinciarum moribus derogare.

jor

jor eſt Principum gloria, quàm quòd Deus eos rectores terris dederit, qui jura populis darent; atque in hoc uno ſummum omnium Principem maximè imitantur, quòd populorum ſaluti conſulant; huc omnes cogitationes ſuas, & conſilia referant; idque potiſſimùm eis curæ ſit, ut ſubditis recta, utilia, & conjuncta cum legibus præcipiant. Hinc commodè quicumque Imperatori olim dixit, modum imperandi ab ipſis legibus præſcribi oportere, & tantum ei licere, quantum leges permitterent. Ac Seneca ipſe qui meritò reprehenditur, quòd immani & acerbæ Neronis indoli nimiùm indulſerit, eumdem tamen magna libertate admonet, quòd Cæſari cum omnia liceant, propter hoc minùs licet. Omni itaque ratione Principibus colenda, & retinenda juſtitia eſt; idque maximè iis debet eſſe propoſitum, ut nihil contra leges, aut æquitatem contendant. Non aliâ quippe quàm tuendæ juſtitiæ causâ Reges ſunt à Deo conſtituti; horum poteſtas legum, & juſtitiæ clauſtris ſepta eſt; hoc velut fundamento ſubnixa ſui ſecura eſt, & ſtabili pondere nunquam nutatura ſe tuetur. Quid enim, ſi jus, & æquitatem Princeps non colit, ſi leges perfringit; alios quidem, non ſeipſum regit? Nec vero id nos fallit legum pœnis Reges non illigari, neque eos in noxam commiſſoriam incurrere; ſed non

 idcir-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

idcirco ſunt ſoluti legibus, quibus hòc magis parêre debent, quòd earum tutela ad Regalem poteſtatem præcipuâ quadam ratione pertineat. Neque enim quicquam magis Regium eſt quàm efficere ut maneat legum honos. Hoc quidem magnâ authoritate, & ſapientiâ Regibus præ-
,, ſcribunt leges Hiſpanicæ, cum negant
,, licere Principibus ab inſtitutis, & legi-
,, bus Regni diſcedere, aut quæ ipſi con-
,, diderunt jura perfringere; quòd ea tue-
,, ri, & complecti ut chariſſima Regiæ
,, majeſtatis pignora, ut fœtus, ut opera
,, ſua, ut ſummi Imperii debeant inſignia;
,, quique publicas leges perrumpunt, plus
,, exemplo quàm peccato nocere graviſſi-
mis verbis admonent a. Hanc legem Montalvus, ut è cælo delapſam meritò veneratur; ac Regni inſtituta docet non magis à Principe, quàm religionis, aut ſupremæ dignitatis decus violari oportere. Ferdinandus item Vaſquius inter Hiſpanos Juriſperitos conſultiſſimus non uno loco teſtatur patriis moribus Hiſpaniæ Reges teneri, neque eos poſſe à conſtitutis legibus diſcedere, niſi populi conſenſus acceſſerit b. Eadem eſt Petri Bellugæ Doctoris Valentini ſententia. Is enim negat conſuetudines à Rege convelli, aut mutari poſſe, niſi id neceſſitas quædam, aut

a *L.12.tit.1. part.1. ſept. partid.*

Debet Rex ſervare legem tamquam ſuam facturam & ejus honorem cuſtodire. nota ergo quòd tenetur Rex ſervare ſuam legem quia divino nutu eſt prolata.

b Regulariter tamen Regibus leges etiam poſitivæ ſuæ regionis ſubeſſe non videntur, ſicque eas mutare non poſſunt ſine populi conſenſu. *Tract. de ſucceſſ. l. 1. §. 6. & in controv. illuſtr. l. 1. c. 2.*

com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

communis ſaltem utilitas totius Regni conſenſu probata exegerit. a. Scitè quidem Covarruvias turpe, & indecorum cenſet caput à corpore diſcrepare, nec iiſdem legibus gubernari: tametſi Regem à ſubditis non vi ſed ratione cogi poſſe fateatur; legibus tamen parêre debet, cum ſit pars illius corporis cujus gratiâ leges ſunt conſtitutæ b. Ac ne ſingulos proferamus, hoc Doctores conſtantiſſimè defendunt, ut Antonius Conſetus, Neptimus, Laurentius Syllanus, Ludovicus Romanus, & Molina inprimis, qui Regem Catholicum negat de ſucceſſionum in Majoratus jure, niſi communis utilitatis ratio id poſtulet, quidquam poſſe detrahere c.

a Dico quod fori ſeu conſtitutiones generales non poſſunt tolli, diminui, neque aliquid eis addi, vel detrahi, & quod fortius eſt, non poſſunt etiam declarari niſi in caſu evidentis neceſſitatis, & utilitatis, & etiam de aſſenſu, & voluntate totius generalis regni. *In Spec. Princip.*

b Etſi non vi coactivâ, tamen vi quâdam directivâ, quæ Principes ratione ad rectum dirigit, humanæ conſtitutioni etiam à ſeipſo latæ ſeipſum ſummittere tenetur. turpe enim apud Principem qui Reipubl. caput eſt, quòd non conveniat ejus communitati. *Tract. de poteſtate & excell. regia, parte 5. artic.* 44.

c Eſſet namque abſurdiſſimum aſſerere quòd ex eo quòd Majoratus ex Principis facultate inſtitutus fuit, poſſit Princeps filio primogenito abſque legitimâ cauſâ ſucceſſionem Majoratus ſibi in ſpe debitam auferre, atque illam in filium ſecundogenitum tranſmittere, atque omnes primogeniorum leges, conditiones, ac ſubſtitutiones revocare. Ideoque dici poteſt ne id etiam ea plenitudine poteſtatis facere poſſe in quo Principis poteſtas non minuitur, ſed & augetur. *Molin. Tr. de Major. l.* 1. *c.* 8. *num.* 31.

Quæ ſi omnibus probantur, nec ratione ullâ poſſunt commoveri, quî conſtare poteſt illa dotali inſtrumento adjecta derogatio, quæ velut uno & eodem ful- II.

mine leges omnes , conſuetudines , & jura vetuſtate ipsâ roborata videtur evertere? Quid enim ſibi volunt hæc verba quibus renuntiationis munitur clauſula, etiam adverſus ſacras Regnorum leges, edicta Principum , uſitatas conſuetudines, populorum inſtituta, quæ per tot ætates incorrupta valuerunt , & quorum authoritate jura in Principatus & Regna
„ firmata ſunt. Quæcumque leges, aut
„ conſuetudines fuerint Regni aut coro-
„ næ Francorum , quæ adverſus horum
„ Principatuum poſſeſſores , aut futuros
„ etiam poſt longa temporum intervalla
„ ſucceſſores, aut quoquo modo huic ex-
„ cluſioni repugnent ; quatenus enim eæ
„ leges, aut conſuetudines ſucceſſionum
„ ordini, qui hoc dotali inſtrumento fuit
„ conſtitutus, aut inito huic nuptiali fœ-
„ deri adverſantur , aut ejus denique exe-
„ cutionem poſſunt inhibere ; his Reges
„ omnino derogant.

III. Illud quidem perſpicuum eſt in hanc, ut in alias ferè dotalis inſtrumenti clauſulas, varias utique voces à Doctoribus qui derogationum formulas tradidêre, excerptas , & acervatim congeſtas fuiſſe, quæ quidem excuſſæ , nec pondus habent, nec authoritatem. Quærere enim libet , quî potuerint Galliæ & Hiſpaniæ Reges ſucceſſionum in Principatus jura perturbare, aut fundatrices Regno-
rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

rum leges, quibus ſublatis nullum ſtare poteſt Imperium, adjectâ dotali inſtrumento clauſulâ funditus evertere? Quod enim aliud eſt cujuſque Principatus fundamentúm? quid ei ſtabilitatem, & æternitatem conciliat? quid magis populorum ſalutem, & pacem continet? quid denique ſanctius habendum eſt, quàm jus illud quo ſucceſſionum in Principatum vices ſunt conſtitutæ? An non hoc juris à Majoribus traditum, per tot ætates conſervatum, perpetuum eſſe debet? Profectò id non magis à Principe perturbari, aut violari, quàm imperium ipſum abjici, quàm ſacra Regni, & Coronæ jura perrumpi poſſunt. Neque idcirco majeſtatem Regum, vel authoritatem imminuimus: hòc enim major eſt, quòd illi minùs in ſuam perniciem licet, nec ſeipſam poteſt evertere. Sed ut ſit aliquando his derogationibus locus, tum ſanè valere non poſſunt, cum populorum conſenſu, & voluntate deſtituuntur. Horum enim maximè intereſt, ut quos à natura, & legibus Principes accepêre, eos omni ope, & ſtudio tueantur. Jam illud requirimus, an Rex Catholicus cùm Regni ſui, tum aliarum Provinciarum Ordines convocarit; utrùm ad eos de re maxima retulerit, atque his authoribus huic legi quæ Hiſpanicam Monarchiam, & alios Principatus maximè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

continet, derogarit? An poſteritatis judicium & rationem in conſilio habuit? Regnum quippe perpetui fideicommiſſi nomine poſſidet, idque ut fidei ſuæ creditum, poſteris tradere tenetur. An fortè is depoſiti, aut fideicommiſſi reſtituendi onere liberatur, qui ſe fideicommiſſi legi derogare, aut teſtamento, aut aliâ quâdam ratione declaraverit? Quæ in privatorum ſubſtitutionibus ferenda non eſſet derogatio, in Regnorum ſucceſſione, quæ velut perpetua eſt, & continuata ſubſtitutio, vim, & robur obtinebit? Jam quæ nova eſt illa juriſprudentia, ut generalis quædam, & confuſa derogatio tot conſuetudines, tot leges evertat? Ea quidem eſt regula omnium ætatum, & gentium conſenſione firmata, generales illas clauſulas ex ſolennibus duntaxat, & uſitatis formulis adhiberi, neque eam vim habere quâ deſcriptas leges, aut certa & definita jura labefactent; niſi ſaltem ſpecialis lex cui derogatur, nominatim expreſſa fuerit. Hoc Belluga [a], hoc Bartolus [b], Baldus [c],

a Princeps reſcribendo etiam cum clauſulâ generali derogatoriâ, non tollit tales leges, niſi fiat mentio ſpecialis illius legis.

b Dubium eſt an debeat dici non obſtante tali lege nominatim, an ſufficiat quòd dicatur lege aliquâ non obſtante: Et gloſſa videtur velle quòd fiat mentio generalis, & ideo puto quòd non ſufficeret, ſi diceret aliquo non obſtante, vel aliquâ lege non obſtante, quia iſtud eſt generaliter loqui. *Ad L. ult. Cod. Si contra jus.*

c Quando Imperator concedit alicui aliquod reſcriptum quod ſit contra legem aliquam, debet ſpecificando dicere non obſtant tali lege, aliàs videtur quòd non valeat. *Ad eandem legem.*

Stepha-

Stephanus, Felinus [a], & omnes prudentiæ civilis Interpretes ſummâ conſenſione definiunt; generalem videlicet derogationis clauſulam reſcripto, aut conſtitutioni Principis adjectam, non tantum poſſe, ut adverſus legem ſpecialem, quæ non exprimitur, aut jus commune ejus valeat authoritas. Hinc lege Imperatoriâ ſancitum eſt, ut neglectis hujuſmodi formulis, ipſius conſtitutionis, quæ ad publicam utilitatem eſt comparata, ratio penitus habeatur [b]. Quæque Novellam (*hoc inter liberos, Codice de teſtamentis*) Gloſſa explicat, ubi nos docuit poſterioribus tabulis priores in gratiam liberûm ſcriptas induci non poſſe, niſi ſpecialis clauſula derogatoria, & ſolennes juris formulæ adhibeantur; illud ſubnectit, quod ad cauſam noſtram maximè pertinet, eamdem eſſe cujuſque derogatoriæ clauſulæ rationem, quæ habetur prorſus inutilis, niſi lege cui derogatur, omnino deſignatâ [c]. Quod cum in ea clauſula de qua nunc agimus, fuerit prætermiſſum; neque

a Imò ſi in generali conſtitutione eſſet clauſula derogatoria non obſtantibus aliquibus privilegiis, debet quatenus poſſibile eſt, reſtringi ut minùs tollantur privilegia: in quibus ergo caſibus per generalem clauſulam non obſtante, vel per generalem conſtitutionem non videtur eſſe derogatum privilegio, multò minus juri communi, cum faciliùs tollatur privilegium quàm jus commune.

Tract. de interp. leg. part. 2. Cap. Nonnulli de reſcr.

b Omnes cujuſcumque majoris, vel minoris adminiſtrationis univerſos noſtræ reip. Judices monemus, ut nullam ſacram adnotationem quæ generali juri vel utilitati publicæ adverſa eſſe videatur, in diſceptationem cujuſlibet litigii patiantur proferre, ſed generales ſacras conſtitutiones modis omnibus non dubitent obſervandas.

c Et ſic eſt argumentum pro reſcriptis contra leges inductis, ut non valeant niſi dicatur non obſtante tali lege, & eſt propter ſolennitatem.

ulla juris devolutionis, aut legum municipalium, quibus Reginæ Chriſtianiſſimæ jura firmantur, mentio facta fuerit, ſequitur eam clàuſulam nullius planè eſſe momenti, nec ullo modo ab ea poſſe tot leges abrogari. Illud quoque adjiciamus, non tantam eſſe dotalis inſtrumenti, aut privati contractûs vim, ut jus publicum evertat; nam ut in rerum natura, ſic in civili regimine, quo res quæque contexta eſt, eodem prorſus modo retexitur, ut eadem ſit diſſolutionis, quæ compoſitionis ratio; neque adeo lex ulla commutari, aut abrogari niſi aliâ lege poteſt, nec tantum licet contractui ut conſtitutum jus extinguat: ſiquidem in hoc maximè conventionis ſumma conſiſtit, ut cum legibus omni ex parte conſentiat. Non igitur quemquam hoc errore duci oportet, ut Regem qui matrimonium contrahit, ex imperio, & principali authoritate agere exiſtimet: quaſi illud eſſet præcellentis dignitatis munus, nec eâdem juris æquabilitate tum Princeps, quâ privati, uteretur; aut iiſdem legibus, quæ dotem, doarium, & alias conventiones conſtituunt, non teneretur. Verùm jam de his alio loco plura: nam ſuprà oſtendimus Regum, & privatorum connubia ad eaſdem leges alligari, & eodem prorſus jure contineri. Quodque apud Arnobium de nuptiis Deorum eleganter ſcriptum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ſcriptum eſt, hoc commodè poteſt ad Regum pacta dotalia transferri. Uxo- " res, inquit, Dii habent, atque in con- " jugalia fœdera conditionibus veniunt " anteà quæſitis. "

Lib.4.adverſus Gentes.

IV.

Sed redeundum eſt ad eam clauſulam quâ Reges Galliæ, & Hiſpaniæ Principatuum, qui ad Reginam delati ſunt, jura, & leges abjiciunt. Quòd ſi ab Eliſabethæ Reginæ, & Principis Balthaſaris morte Principatus illi ad Reginam Chriſtianiſſimam pervenerint, non potuit ſanè Rex Catholicus leges Provinciarum, quæ ſuæ ditionis non erant, privatâ conventione, aut contractu ſubvertere. Pater erat, tutor, bonorum adminiſtrator; uſufructu, non mancipii jure dominus; ea bona Reginæ erant addicta, jam illorum dominium huic obvenerat. Quo jure, quâ authoritate Rex Hiſpaniæ earum Provinciarum turbare ſtatum, movere leges, & conſtitutos mores potuit infringere? An tutor, aut ſequeſter, aut rerum adminiſtrator leges Provinciarum in quibus pupilli bona verſantur, poteſt abjicere? Qui re utitur-fruitur, hanc ſalvam, & incolumem, nullaque ex parte imminutam præſtare debet, aut relinquere, non præcipua ejus, & nativa jura diſtrahere. Jam illud quàm novum, quàm inuſitatum certa & quæſita jura generali derogatione repudia-

re? Huc quidem ſpectat omnis derogatio, ut vim alicujus clauſulæ, aut legis, quæ à contrahentibus proſpicitur, & qui poſſunt incurrere futuros caſus inhibeat; ſed hæredem movere poſſeſſione ſibi à municipali lege delatâ, & quæſitâ ſucceſſione dejicere nulla derogatio poteſt: præſertim cum hæc juri publico repugnat, quod nunquam fas eſt repudiare. Cumque ſucceſſionum jura in Principatus rata ſint, & perpetua; cum ſummi Imperii leges fatales ſint quodammodo, & immutabili conſtantiâ, non magis poſſunt Principes his obſiſtere, quam Dii ipſi apud veteres, quas condiderant leges fatorum nexibus illigatas poterant convellere.

V. Quamobrem funditus ejicienda eſt eorum opinio, qui Reges Imperii ſui legibus non teneri putant: falſa enim eſt, & juri gentium omnino contraria. Hanc optimi quique Principes ſemper ut venenum quoddam ab adulatione profectum rejecerunt; nec quicquam Regum Majeſtati, & Regnorum ſtabilitati afferri potuit magis exitioſum. Nam ut præclarè apud Platonem ſcriptum legimus, ſalus Imperii in hoc maximè poſita eſt, ut ſubditi ſint in ditione Principis, & viciſſim Princeps in legum poteſtate, his pareat, his obtemperet. Lex quippe omnis, ſi modò juſta eſt, publicâ utilitate

tate perpenditur, nec fas eſt Principi ab ea deflectere. Neque enim Deus, ut inter pecudes, ſic inter homines poteſtatem, & imperium valentioribus dedit; ſed regi homines cùm ratione, tum legibus debent, cum nihil ſit lex juſta, quàm recta ratio imperandi. Leges quidem fuerunt à Regibus conſtitutæ: verùm hoc majore curâ, & religione ſunt illis colenda jura quæ ſanxerunt, non impunè violanda. Nihil Principis ſapientiam, mores, mentem denique clariùs exprimit, quam ab eo conſtitutæ leges; in his ſeipſum, & ſummi vim Imperii intuetur; atque ut pater in liberis quodammodo reviviſcit, ſic perpetua Regis authoritas optimis legibus, & inſtitutis in omne ævum prorogatur; hanc colit poſteritas, & ipſâ vetuſtate magis floreſcit. Hoc fundamento Regna quæque firmantur, hoc ſceptro reguntur populi, hoc regale ſolium, hæc poteſtas non ſtipatorum numero, non armorum fulgore, ſed ratione ipſâ, & juſtitiâ ſtabilitur: hac mente tot civitates, tot Provinciæ tanquam ejuſdem corporis membra ita gubernantur, ut Majeſtas Principis hoſtibus terrorem incutere, ſocios in ſpem erigere, ſubditos benevolentiâ complecti, & velut machinatione quadam omnium animos variis motibus contorquere, & ubique adeſſe videatur.

Hunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Hunc ſibi thronum in Belgio Rex Chriſtianiſſimus erigere, hoc ſolium patriis legibus, & Provinciarum inſtitutis firmatum inſidêre meditatur. Potuit non rationibus, non diſceptatione, ſed armis decertare; potuit juſto, & legitimo bello res ſuas repetere, & jura perſequi. Sed illud è moderatione ſua, & benevolentia in ſubditos futurum duxit, ſi fidem, & obſequia populorum expectaret potiùs, quàm cogeret; ſi juſtitiâ magis, & caritate animos ſibi devinciret, quàm vi, armis, obſidione urbes expugnaret; rationibus denique perſuaderet, non cædibus hominum, non ſtrage, non fœda agrorum vaſtatione, non urbium ruinis jus ſuum aſſequeretur. Populorum ſalutem, pacem publicam, & ſubditorum obſequia omnibus triumphis anteponit; nec bella timet, nec provocat. Non ſibi, non Conjugi, non toti Galliæ illata ſpecie fœderis injuria, non ſumma excluſionis iniquitas eum potuit ab ingenita moderatione dimovere. Quid minùs ferendum fuit, quàm Regis Catholici filiæ primigenæ non delatas modò hæreditates, ſed ſpem quoque omnem futuræ ſucceſſionis præripere? paternâ eam domo ut alienam extrudere, omnibus eam bonis ſpoliare, nec aliam tam injuſtæ renuntiationi cauſam prætexere, quàm quòd potentiſſimi Principis ſponſa, & Regina eſſet Galliarum?

rum? Hujus damnatur fœcunditas, futura ex ea ſoboles exhæredatur: in Regis perſona ſacri connubii religio, & ſanctiſſimæ neceſſitudinis jura violantur; nec aliud quidquam datur crimini, niſi Gens Francica vetuſtate ipſâ, & rerum geſtarum gloria conſecrata. Hoc odio, his invidiæ facibus inflammati tam anxiè, tam ſollicitè Hiſpani excluſionis, & renuntiationis clauſulas texuerunt; quæque adverſus vim legum, jura gentium, & ſanguinis conjunctionem, velut muros, & propugnacula opponerent, moleſtiſſima diligentiæ perverſitate munierunt.

Hæc ſanè Regis Chriſtianiſſimi iram, indignationemque meruere; ſed Princeps invictiſſimus primùm vincere animum, iracundiam cohibere, & graviſſimas injurias communis concordiæ cauſâ, voluntariâ quadam oblivione voluit conterere; tum populos legum, & conſuetudinum authoritate ſuperare; tandem hos ſibi juſtitiâ, æquitate, & benevolentiâ devincire cogitavit. An ea Regis moderatio ſecunda omnia non mereatur? Eine ut adverſentur ſubditi, aut fide, & obſequio cum ſui Principis manſuetudine non certent potiùs, quàm contumaciâ, & dedignatione parendi? Quid enim? an non Rex Galliarum paci publicæ conſulit, non eam fovet, non VII.

tuetur?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

tuetur? An illi quicquam acerbius poteſt accidere, quàm ut bello, & armis eos ſibi ſubjiciat, qui tam juſtum ſine flagitio recuſare non poſſunt imperium? Nihil is prætermiſit, quantum facere, enitique potuit, quò ſubditos à tanta perverſitate abduceret; neve ſacrum ſuæ Conjugis patrimonium acerbiſſimi belli arderet incendiis, aut populorum ſanguine redundaret, aut agri demùm populatione, urbes direptione, & cædibus fœdarentur. Quid majori clementiâ, & manſuetudine potuit efficere, quàm de poſſeſſione tot Principatuum legibus prius quàm armis contendere; & populorum ingenia beneficiis potiùs demereri, quàm bello ſubigere? Quid optimi Regis ſapientiâ dignius, quàm leges municipales, & patrias conſuetudines, quæ tot ſæculorum uſu, & vetuſtate ipſâ tutæ eſſe debent, adverſus vim, & injuſtitiam defendere, iiſque Principes juxtà, & ſubditos conſtringere? Quòd ſi fortè hi legibus ſuis parêre, nec legitimæ Principis imperio regi velint? quòd ſi nec officii, nec fidei, nec ſalutis ſuæ rationem habeant; ſi paci bellum, publicæ tranquillitati ſummam rerum confuſionem anteponere; ſi armorum vim, quàm Regiam benevolentiam malint experiri; tum ſanè inviĉtiſſimus Princeps poterit omnium malorum cauſas à ſe in rebelles populos avertere, atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

que illud Prophetæ meritò uſurpabit: *Non ego vos turbavi*: ſed defectio veſtra 3 *Reg.* 8. 18.
tam luctuoſi belli conflavit incendium; huic hominum cædes, tectorum ruinæ, ſacrarum Ædium direptio, & alia bellorum vulnera referantur accepta; hæc vobis liberos, fratres, cives eripuit; hinc vaſtitas, clades, excidia. Verùm id non poteſt in animum inducere, ut Provinciarum Ordines eâ ſapientiâ, & moderatione præditi, velut præcipites, & inconſulti in ſummum diſcrimen, atque in atrociſſimi belli flammas ſe, ſuoſque conjiciant.

VIII.

Non eos fallit communem Provinciarum ſalutem perpetuâ inter utramque Regiam pace contineri, quæ non aliâ re magis firmari, & ſtabiliri poteſt, quàm ſi illæ regiones legitimæ ſuæ Principi ſubjiciantur, & velut in unum Gallici Imperii corpus redeant, ex quo olim fuerunt exciſæ. Quandiu enim erunt diſtractæ, atque à ſuo corpore revulſæ, æterna manebunt diſcordiarum ſemina, unde luctuoſa, & nunquam intermoritura bella naſcentur. Itaque felicitati temporum gratulari debent, quòd non armorum vi, ſed patriarum legum majeſtate; non belli, ſed naturæ, & ſanguinis jure cum Gallis conſociati, unius Principis virtuti, fidei, & tutelæ commendentur. Quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

futura eſſet amentia, quis ſtupor, ſi diſruptis tot legum, & naturæ vinculis, quibus præſtantiſſimæ omnium fœminæ, & legitimæ Principi adſtringuntur, conſtitutum divinæ Providentiæ ordinem violare, juſtum imperium defugere, ac demum poſteris ſuis mallent alia ex aliis bella ſerere, & velut hæreditatis loco tradere, quàm pacem, otium, & tranquillitatem iis relinquere?

IX. Hactenus quidem Hiſtoriarum monumenta ſpectatam horum populorum in ſuos Principes fidem, & benevolentiam ſummis laudibus extulerunt. Mortuo Gilberto, qui primus Brabantiæ Dux extitit, nec precibus, nec præmiis, nec periculis adduci ullis potuerunt, ut Henrico Gilberti filio repudiato, Othonis Imperatoris fratri ſe ſubjicerent; ſed conſtantiâ, animoque maximo alienum Principem ejecêre. Nec minore libertate Ducem ſuam Alcidem, quæ muliebri impotentiâ, & amore præpoſtero Joannem filium minorem ætate, ejecto Henrico natu maximo, Principatûs hæredem inſtituere cogitabat, à propoſito deterruêre; ac negarunt Henrici jura naturæ legibus, & ſupremi Numinis providentiâ firmata violari ullo pacto poſſe; idque ſi tentaret, fore ut hanc injuriam à ſuo Principe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

cipe armis, & ſui ſanguinis effuſione propulſarent. Hac denique fide in Principes ſuos, & invictâ animi magnitudine Brabantiæ Ordines Wenceſlai Imperatoris ambitioſas preces repulêre. Cum enim ab his magnopere contenderet, ut filium ſuum natu maximum Joannæ Principis ſucceſſorem agnoſcerent, atque in ejus jurarent verba, ut dotali inſtrumento, quod ratum habuerant Ordines, convenerat; non aliud ab iis potuit reſponſum elicere, quàm futurum ut quid facto opus eſſet, mortuâ Principe ſtatuerent: ſed quamdiu ea viveret, quæcumque ſponſio interpoſita, aut potiùs extorta ab Ordinibus fuiſſet, in nullius ſe verba adigi poſſe.

X. Quid ergo, an populi ſpectatiſſimæ in ſuos Principes fidei à Majoribus accepta documenta, & monumentis æternæ laudis inciſa poterunt contemnere, aut in Patriæ exitium, & ruinam armari? An neglectâ pace quam inter duo potentiſſima Regna perpetuam efficere, & conciliare poſſunt, in funeſta cùm ſibi, tum poſteris bella, & ſempiternum rebellionis dedecus incurrent? ergone ſpretâ ſuâ Principe, nullo jure aut humano, aut divino vinci ſe patientur, & Hiſpanorum præfecto ultrò ſe ſubjicient? Quid cauſæ eſſe poſſit cur ditione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

ditione alienâ teneri malint, quàm ſubeſſe Principi, quæ generis claritatem virtutum omnium laude ſuperat, quamque divina indulgentia, & naturæ leges ad eos Principatus vocant? An fortè ignorant Hiſpanis nihil tam eſſe propoſitum, quàm patrias conſuetudines, & legum municipalium fundamenta, Imperii videlicet, & ſucceſſionum jura convellere? Quid exitioſius Provinciis, quid tam juri, & libertati contrarium potuerunt efficere, quàm deſcriptas ſucceſſionum in Principatus leges, & vetuſtas conſuetudines pactis dotalibus evertere; nec ſolùm de Imperii jure, inconſultis Ordinibus paciſci, ſed etiam populos, ceu quædam mancipia renuntiationum, & privati contractûs formulis comprehendere?

Quamobrem judicent prudentiſſimi Ordines quantò magis è re ſua, & publica utilitate futurum ſit, ſi ad Gallos ſe adjunxerint, quorum cum moribus, & naturâ congruunt, quàm ſi ad Hiſpanos defecerint, à quibus non magis locorum intervallis, quàm ingeniis, moribus, inſtitutis ſeparantur. Hoc ſummo Dei munere ſunt conſecuti, ut non armis, aut bello, ſed patriis legibus ſuo velut corpori, unde per vim, & fraudem avulſi quondam fuêre, red-
deren-

derentur. An eos fallit hac unâ ratione Provinciarum ſalutem contineri, hoc unum eſſe pacis publicæ firmamentum, ſi eodem cum Gallis, quibus naturali cognatione juncti ſunt, regantur imperio? An non intelligunt & ſibi, & poſteris eſſe conſulendum, omnes bellorum ſtirpes elidendas, ac denique omni curâ, & ſtudio proſpiciendum ne patria cædibus, atque incendiis vaſtata perpetui inter duas Regias belli ſedes futura ſit, eaque vim omnem armorum & Martis injurias excipiat? Hoc perſuadere ſibi non poteſt Rex Chriſtianiſſimus, Provinciarum Ordines tantum in ſe flagitium admittere, ut nefario defectionis ſcelere ſeſe contaminent; ut ſuâ, & liberorum ſalute neglectâ contra publicas leges, & patrias conſuetudines armentur. Id citiùs crediderit eam eſſe Ordinibus mentem, eam populis conſtare ſententiam, ut ſi illatas ſibi ab Hiſpaniæ Conſilio Regina diſſimularet injurias, ii tamen patrios mores, ſuæ Principis jura, & vim legum ſummâ animi magnitudine defenderent. Verùm eo loco res ſunt, ut Regina Chriſtianiſſima delatos ad ſe adire Principatus, Provincias, & civitates ſuas obire ſtatuerit, majeſtatis utique ſuæ, & ſubditorum fidei ſecura; non cædes, non bellum, non vaſtitatem, ſed pacem, otium, ubertatem allatura, nec magis invictiſſimi Re-

gis

gis potentiâ, & armis, quàm juris æquitate, & legum majeſtate ſubnixa: eaque ſibi aditum ad eas Provincias, & civitates inſitâ Belgarum pectoribus erga ſuos Principes religione ſatis munitum arbitratur.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 43